

P A R S III.

PERIODUS III.

De Præpositis ac Abbatibus Insulatis Collegii
Wengensis post mutationem Religionis Catholicae Ulmæ
factam.

CAPUT I.

Ambrosius Kaut Præpositus XXIV.

§. I.

Electio & Confirmatio Ambrosii.

Devenimus tandem ad Periodum tertiam Historicæ nostræ Informationis a tempore mutatæ Religionis in Ulma satis notabilem. Plenam hic Historiæ messem exspectabunt Lectores nostri, cupientes scire, quænam fata habuerit Sæculo decimo sexto in civitate Ulmensi Catholica Religio, quosnam Adversarios passa sit, quomodo dispersi sint lapides sanctuarii, ac mutatus color optimus? At At! si unquam in mentem mihi venit tristissimum illud: Eloquar, an fileam? nunc certe illius memor loquendumne mihi an silendum? dubius mecum anxius disquiero. Silenda utique occurrunt multa, sed multo plura dicenda calamum impellerent, nisi satius, & sanæ rationi convenientius judicarem tranquilitate jam facta, compositisque fluctibus placare potius marinos Deos, quam veteres iras & intentata pericula illis cum amaritudine animi objicere. Quare de Sæculi hujus calamitatibus, quas mutata invexit Religio, nihil a me hic exspectent avidi Lectores, quam ea duntaxat quæ de Ambroso, ejus exilio, & Fidei zelo reliquit Scripтор Synchronus, in nonnullis tamen absque veritatis dispendio a me mitigatus, rescissis scilicet aliquibus terminis, quos audire non amplius sustinent delicatæ Sæculi nostri aures. Ad Præpositum itaque nostrum redeo.

Fuit Ambrosius Kauth Patria Ulmensis, vir pius, Religiosus, prudens, doctus, placidusque, nec non misericors erga omnes pauperes. Decani officio fungebatur sub Antecessore suo Michaeli tanta cum solertia ac prudentia, ut omnibus, præterquam discolis, fuerit in amoribus. Cum post fata Michaelis vacaret Wengensis Ecclesia, ne in statu viduitatis suæ pateretur incommoda, Ambrosius Decanus, cæterique Religiosi Domini Capitulares ad novam Præpositi Electionem processerunt, ad hoc negotium vocatis & rogatis Reverendissimo Domino Gregorio Abbe Monasterii sancti Joannis Baptiste in Blaubiren Ordinis sancti Benedicti nec non venerabili & egregio viro Domino Sebastiano Leschenbrand sacrofæcæ Theologæ Doctore Ecclesiæ Parochialis Beatissimæ Mariæ Virginis in Ulla Plebano ac Notario publico Apostolico & Legali, nominatis & Juratis. Per viam Scrutinii communibus votis Ambrosium elegerunt. Quem præmisso publico Proclamationis editio anno 1521. indictione nona die vero Lunæ quarta Mensis Februarii Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Leonis divina Providentia Papæ X. anno octavo Venerabilis Dominus Gregorius Bawler Rector Hospitalis S. Spiritus Oppidi Ulmensis in præsentia plurium testium auctoritate Apostolica confirmavit. Cum haec ultima fuerit Rectoris hospitalis Præpositorum nostrorum confirmatio, communicare placet totum instrumentum.

Instru-

Instrumentum Electionis, & Confirmationis Domini Ambrosii Kaut Præpositi in Wengen, de Anno 1521.

In Nomine & Individuæ Trinitatis Patris & Filii, & Spiritus Sancti Amen.
 Nos Georgius Bawler, Rector hospitalis sancti Spiritus Oppidi Ulm. Constantiensis Diæcesis Provinciae Moguntinæ, universis & singulis, has litteras nostras præsentes inspecturis visuris, lectoris, pariter & audituris salutem in Domino sempiternam; cum indubitata notitia subscriptorum. Nuper Prælatura & Præpositura Ecclesiæ, seu Monasterii sancti Michaelis Archangeli ad Insulas Oppidi Vlm. Ordinis sancti Augustini Canonicorum Regularium dictæ Constantiensis Diæcesis per mortem quondam Reverendi & Religiosi Patris & Domini Michaelis Oetterlin dictæ Ecclesiæ novissimi Præpositi, & Possessoris vacante, ne propter gwerrarum discrimina & nimiam vacationem ipsa Ecclesia, seu Monasterium incommoda & dispendia pateretur, neve Pastoris defectus Iupis rapacibus incentivum præberet oves laniandi, Decanus, cæterique Religiosi Fratres conventuales & Professi dicti Monasterii qui de jure debebant & poterant electioni hujusmodi interesse coram Reverendo in Christo Patre & Domino Domino Gregorio Abbe Monasterii sancti Joannis Baptiste in Blaubyren, nec non Venerabili & egregio viro Domino Sebastiano Leshenbrand sanctæ Theologæ Doctore Plebanæ Ecclesiæ Parochialis Beatissimæ Mariæ Virginis in Vlma electis, nominatis, & juratis scrutatoribus ac Notario Publico Apostolico, & legali, dilectum nobis in Christo Fratrem & Dominum Ambrosium Kaut, dicti Monasterii ad Insulas Decanum Canonicum Sacerdotem expressè professum de legitimo thoro procreatum ætatis legitimæ & literaturæ competentis prout edocti sumus rite, & canonice per viam scrutinii nobis præsente & assidente elegerunt, & publice pronuntiarunt, ac eundem electum nobis tamquam Commissario Apostolico, & Confirmatore pro ipsius electi ac electionis de eo factæ, confirmatione, approbatione, ratificatione, nec non administrationis, spiritualis, & temporalis commissione, nec non possessionis realis, actualis & corporalis traditione, & assignatione vivæ vocis oraculo personaliter in loco capitulari præsentarunt. Nos igitur Gregorius BaWler Rector hospitalis sancti Spiritus Oppidi Vlmens. supradictus ad dictæ Electionis, & Electi confirmationem procedere volentes secundum Apostoli dictum, nemini cito manum apponente, proclamationis publicum edictum præmissimus, omnesque & singulos sua interiesse putantes, & se contra electionem seu Electum, hujusmodi opponere volentes, primo, secundo, tertio, & peremptorie citavimus & vocavimus; Et quia nullus oppositor seu contradictor coram nobis pro tunc comparuit, idcirco via contradicendi opponendi, & excipiendi, de cætero omnibus præclusa ac aliis præmittendis, præmissis, & servatis rite servandis, cum juri, & rationi congruit, & convenit æquitati, ut justa petentibus non sit denegandus assensus, dictis Dominis scrutatoribus nobis assistentibus ad confirmationem electionis, & Electi hujusmodi duximus procedendum, & processimus. Inquisitione igitur diligentie de ipsius Fratris Ambrosii Kaut Electi moribus, conditionibus, scientia, sinceritate, modestia, & aliis, quæ ad hujusmodi dignitatis & Prælatura apicem requiruntur, præhabita, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris & Filii, & Spiritus sancti, & glorioissimæ semper Virginis Mariæ, sancti Augustini, nec non sancti Michaelis Archangeli quorum præsens negotium existit, electionem de persona dicti Fratris Ambrosii factam, & ipsum electum authoritate Apostolica nobis concessa, & qua fungimur in hac parte per manum nostrarum impositionem approbavimus, ratificavimus, & confirmavimus, ac approbamus, ratificamus, & confirmamus per præsentes, & ipsum Dominum electum Ambrosium Kaut in dicti Monasterii ad Insulas Præpositum & Prælatum præfecimus, ac per annuli traditio-nem, & Brieti impositionem instituimus, investivimus, & enundem de eadem providimus, curam animarum & administrationem ipsius Monasterii in spiritualibus & temporalibus sibi in animam ejus fideliter committendo. Consequenter præfatum Dominum Ambrosium electum & confirmatum cum solemnni Pro-cessione Conventus ad Chorum Ecclesiæ perduximus, & coram summo altari pro-strato campanis pulsatis, & hymno Te Deum laudamus ex altis vocibus decanta-to solemniter cum versiculo & collecta solitis & consuetis, & inde eo elevato, & in summo altari constituto autoritate supradicta prælibatis, & aliis fratribus conuen-tualibus dicti Monasterii in virtute sanæ obedientiæ injunximus, & mandavimus, quatenus eidem Electo, & confirmato tanquam Patri, Prælato, & Pastorri animarum suarum obe-dientiam regularem promitterent, debitam & condignam, qui omnes tanquam obedientiæ filii

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera. M m m m m filii

filii flexis genibus obedientiam regularem ad manus dicti Domini Ambrosii electi, & confirmati Praepositi promiserunt, & fecerunt. Demum eundem Dominum Ambrosium in Choro cd Stallum Praepositi in signum realis, actualis, & corporalis possessionis perduximus Sigillum & claves dicti Monasterii sibi tradendo, acdeinde ad summum altare statuendo, qui ibidem accensis candelis & cincta per collum stola tactis sacrosanctis Scripturis coram vobis prædictisque scrutatoribus, & Fratribus Conventualibus corporale præstitit Juramentum sub hac forma: Ego Frater Ambrosius electus & confirmatus Praepositus hujus Monasterii juro, & promitto Omnipotenti Deo, Beatae Mariæ Virgini, sancto Augustino, & sancto Michaeli Archangelo hujus Ecclesiae & Monasterii Patrono, quod in antea fidelis ero Ordini nostro, & pro posse meo Statuta ejus tenebo, bona, jura, & possessiones hujus Monasterii custodiam, & congregata conservabo, sic me Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia. Dehinc electionem ac Electum hujusmodi coram populi multitudine publicavimus. Postremo sæpe dictum Dominum Ambrosium Electum, & confirmatum Praepositem ad habitationem solita residentiae Praepositi induximus, sibique realem, actualem, & corporalem possessionem ejusdem Praeposituræ modo & forma melioribus, quibus potuimus, assignavimus adhibitis in his solennitatibus debitis, & consuetis. In quorum omnium & singulorum fidem, & Testimonium præmissorum præbentes litteras, sive prælens publicum instrumentum hujusmodi processum in se continent, sive continens exinde fieri, & per Notarium publicum infra scriptum subscribi, & publicari mandavimus, nostrique & Conventus prælibati Monasterii ad Insulas sigillorum jussimus, & fecimus appensione communiri. Datum & actum in sæpe dicto Monasterio ad Insulas Oppidi Ulm. ac locis supradictis, Anno a Nativitate Domini Millesimo quingentesimo vicesimo primo, Indictione nona, die vero Lunæ quarti Mensis Februarii Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Leonis Divina Providentia Papæ Decimi anno octavo præsentibus tunc & ibidem præfatis Dominis scrutatoribus, necnon Venerabilibus & religiosis viris Dominis Patre Henrico Hiltbrandt Superiore dicti Monasterii in Blaubüren, Domino Sebastiano Buel Capellano in Ulma, & Udalrico Korrnwacks de Ehingen Clerico Constantiensis Diæcesis Testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et ego Hieronymus Winckelhofer de Ehingen Clericus Constant. Diæcesis Provinciae Mogunt. sacris Apostolica, & Imperiali Authoritatibus Notarius publicus &c. Prædictorum Electionis affensu, Præsentationi, Citationi, Approbationi Confirmationi, Institutioni, Provisioni, Possessionis Traditioni, Juramenti, Præstationi, omnibusque aliis, & singulis præmissis, dum sic, uti præmittitur, per præfatum venerabilem, & integerrimum virum Dominum Gregorium Bawler Reætorem Hospitalis sancti Spiritus Oppidi Ulm. & coram eo fierent, & agerentur una cum prænominatis Dominis scrutatoribus, & testibus præfens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi, & audivi; idcirco hoc præfens publicum Instrumentum hujusmodi processum Confirmationis in se continens manu alterius me aliis prædicto negotiis fideliter scriptum exinde confeci, subscripti, publicavi, & in hanc publicam formam redigi, signoque, nomine & cognomine, meis solitis, & consuetis, unacum præfatorum Dominorum meorum Hospitalarii & Conventus Monasterii ad Insulas Sigillorum appensione signavi in fidem, robur, & evidens Testimonium omnium & singulorum præmissorum, ad hoc debita cum instantia rogatus, & requisitus.

(L.S.N.)

S. II.

Turbata Religione Catholica discedit Ulma adhortatur Confratres suos ad Constantiam.

Ambrosius Praepositus, ut inquit Synchronus Scriptor, gubernavit utiliter & summa cum laude ante exactas Ulmae Religionis turbas novem annis. Post ubi nova Lutheri doctrina divulgari per totam Germaniam cœperat, atque jam & Ultremens cives eidem adhæserant; Senatus civitatis convocatis universis Religio-

sis

sis ac cæteris Sacerdotibus tales fidei conditiones singulis servandas prætendit, quas nemo Catholicæ Religioni favens tuta conscientia tenere, aut facto poterat exequi. Ambrosius ergo rebus tanti momenti, diu, sapienter & pie pensatis, cum pietatis & æquitatis jura per exorta dissidia extinqui cerneret, & indies odia inter cives accrescere animadverteret nihil loci sibi reliquum esse existimans. Adeo magis, quam hominibus obtemperandum ratus, hasce ab Ulmensibus conditiones sibi propositas suscipere generosa voce renuit, ac relictis non solum omnibus Monasterii bonis se paternis quoque focis charissimis sponte sua assumpto, solo Wolfgango Besserer, qui tunc professionem fecerat, primum Blaubüren, dein Überlingam urbem Imperialem ad Acronium lacum sitam, quæ tunc novis dogmatibus conscientiam suam nondum polluerat, anno 1530. in exilium proficiscitur. Post discessum suum e Blauburense Cœnobio relictis suis Ulmae Confratribus mox fugæ suæ causas per litteras aperuit ac ad fidei constantiam pathetice animavit, lege sis ipsam Ambrosii Epistolam, sed ex lingua vernacula in latinam a Canonico quodam nostro scholarum nostrarum inferiorum tunc Professore a Georgio Trautwein Canonico nostro Capituli Secretario, & scholarum inferiorum Professore translatam

Paternam Dilectionem
Salutis loco
Devoti, Reverendi, dilecti Patres
ac Filii.

Uique recenti obversabitur memoriae vestrae, qua ratione a vobis, dilectissimi, discesserim; Primo ut Conventus nostri membrum, & Confratrem F. Wolfgangum Besserer in Monasterium Waldense transferrem; deinde ut, quæ vobis tum scientibus, tum consentientibus mecum acceperam, nobis benevolo, & per quam gratioso Domino Blauburano traderem, ejusque manibus consignarem. Et hoc & illud effectui datum mea ipsius opera est. Acquievit facillime (ut mirum in modum nobis favet) Cœnobiarca Blauburanus, &, quæ tradideram, custodia suscepit, datis, quæ hac super re videbantur necessariæ, litteris, quas penes me habeo, vobis, ubi primum fors bona (quam Dei ter optimi Clementiam non procul removisse credo) nos denuo canjunxerit, exhibendas.

Cæterum posteaquam a Waldensesibus Blauburam redii, eo animo, ut hac ipsa, qua isthæc scribo, die ad vos me denuo reciperem, magnopere, quod statueram, dissuasum est mihi a gratioso nostro Domino Blauburano, ut festam divo Joanni diem secum celebrarem una, vehementius rogante.

Itaque maximopere, & quam possum diligentissime, ac serio, Fratres charissimi, atque obtestor! nolite per Deum ter optimum maximum, per sanguineos cruciatus, & mortem Servatoris nostri Jesu Christi, per extremum, quo examinabimur omnes, Judicium, per omnia meæ in vos charitatis officia, per sacram vobiscum necessitudinem, per omnia, quæ accepistis a me, beneficia; nolite, inquam, abjicere voluntatem, in qua me discidente fuistis. Si quis vel blanditiis, vel pollicitationibus, vel minis etiam a proposito vos conetur abducere, ne, Fratres mei! ne acquiescatis ei: sed (quod vere Christianum decet) agite constanter! perseverate in finem! nec enim, nisi qui perseveraverit in finem, aut salvus erit, aut Coronæ particeps. Quæ modo novantur tentationes, a Deo sunt, illis immisæ, in semitis ejus perseverare qui volunt. Aspicate funestos viæ, quam Novatores monstrant, terminos! perpendite animis, quæ afferat, quæque attulerit, commoda quando satis deploranda! Ad ultimum demus etiam Summi Dei (qui operum bonorum Remunerator, malorum vindicta est) longanimitatem & misericordiam justi furoris sui virgam a scelestis tantisper reprimere, ab hominibus certe condignis affecti suppliciis vapulabunt. Quæ quidem adeo manifesta sunt, ut vobis ea nec captu, nec intellectu futura sint difficultia; præterquam quod eadem non semel me vobis, superioribus temporibus, inculcare memini, nec, quæ ve- lim, repeterem nunc efficacia possum, doloris magnitudine apta verba non sufficiente. Interim tristissimam hanc sortem meam dulcis fiducia demulcit, fore nunquam, ut admonitionem mearum, gravissimarumque, quas didicistis ex me, causarum obliti, vestrum mutetis animum. Hoc sane tantum abest, ut futurum credam, ut potius conceptam in vobis fiduciam renovare non dubitem. Quod si nihilominus eo devolveretur rerum iniquitas, ut vobis aut vim inferret res novantium li-

M m m m m z

cen-

centia; ad me ut curratis, invito. Nunquam erit ex vobis, quem deseram, sed & animam meam & fortunas & facultates a bonorum omnium Largitore Deo nobis unquam concessas pro vobis tam officii mei ratione, quam meo in vos singulos affectu urgente dabo. Sed nec est, quod metuamus corpori tam luculentæ a viris beneficis, a Patribus, ab amicis nobis admoventur spes, tam religiosæ promissiones, tam non dubitanda auxilia, ut, quamquam bonorum omnium penuria vexatis, de honesta tamen, &, quæ virum Religiosum deceat, sustentatione vitæ dubitare nequaquam liceat. Et en adectas a Domino & Patre nostro Waldseensi Præposito his litteris paginas, ex quibus manifestum verbis meis testimonium accepit. Agite itaque, Fratres charissimi! tales vos præstate, quales vos esse non dubito: quales ut sitis, mereri nunquam desidero, quales denique dignam ab Omnipotentis justitia mercedem exspectatis, quales vos divinæ custodiz & qualium de me devotis precibus, vestris, inquam precibus commando,

Dabam Blauburæ in Vigilia
Petri & Pauli Apostolorum

1531.

Ambrosius Kauth
Præpositus.

Paternis hisce monitis nihil moti Canonici Confratres palam conspirarunt contra Præpositum, litterasque ad illum dederunt injuriæ plenas, in quibus conquesti sunt, se inique fuisse a Superiore suo desertos, ac maximo periculo expositos &c. Quorum quidem calumnias novis litteris eadem cum moderatione ac prudentia scriptis a se amoliri conatus est; ac iterato ad constantiam in veteri fide servandam adhortabatur additis denuo diuturnioris extra Collegii sui septa commorationis grevissimis motivis. Sed jam ad cor Filiorum rebellium non penetrabant amantissimi Patris verba. Omnes enim, excepto solo Francisco Karrenmann Decano, & Ecclesiæ Catholice & Ordinis Legibus valedixerunt. Propria libidine seducti, vestimentis Regularibus abjectis, gladiisque mirmillonum instar publice per civitatis plateas incedebant, constituta ipsis per Magistratum pensione annua, ne bona ac redditus Monasterii, cuius is possessionem certam sibi nondum ad Promittere audebat, illorum malitia penitus perirent. Ex singulari etiam Numinis providentia factum est, ut ipsius Magistratus autoritate & prudentia, quamdiu Ambrosius extra septa Wengensis Monasterii moraretur, constitutus sit secularis quidam Casparus Berchtoldus nomine Administrator, qui bona deserti Collegii, & Possessionum nostrarum curam gereret.

§. III.

Ambrosii Adversitatem & zelus pro Religione durante novemdecim Annorum Exilio.

Acutissimo mœroris telo cor Ambrosii percussit triste de Apostasia Filiorum suorum nuntium. Conabatur quidem omni cum discretione ac paterna sollicitudine litteris, lachrimis potius quam atramento scriptis, illos a lapsu revoicare ac erigere. Opportune, importune instabat, ut in viam rectam redirent. Verum cum nihil proficeret verbis, eum incassum omnia adhiberet monita, minis obstinaciam illorum conabatur frangere. Sed jam nec his quicquam efficiebat, Excommunicationis fulmeh in degeneres filios Auctoritate Apostolica munitus detorsit. Neque ullum tamen lego ad frugem optatam rediisse.

Senatus Ulmensis, postquam Ambrosius jam in securiorem locum secesserat, de prudentia viri omnibus nota nihil boni sibi ominatus, varias adhibuit artes illum pelliciendi Ullmam, ac ambos ejusdem fratres adhuc hoc die viventes (verba sunt Scriptoris Synchroni) nomine Antonium Presbyterum, & Leonardum captos in carcerem conjecit, ratus, sic eum in urbem facile ad eos redimendos retrahi posse. Sed vir prudens cautius agendum eminus cum Magistratu esse existimans, extra sepes Ulmensium se continuit & suorum Fratrum causam absens defendit, Senatus autem Fratres suos paulopost liberos dimittere cogebatur. Ambrosius, se pro libero Religionis Exercitio velut murum opponens, maximam multorum invidiam sustinere interim debuit, quod de suo jure ac fidei libertate cedere, licet omni-

omnibus bonis orbatus, nollet, ac noxis identidem querelis Rectoribus civitatis per octodecim annos molestus evaderet. Quo temporum decursu plerumque pedes molestissima itinera obiit, nec Acheronta unquam movit, sed confusus cælo, omnem suam in Deo spem ac cælitibus posuit. Individuus comes in tanti calamatibus ipsi fuerat parva ex argento fabrefacta S. Michaelis Archangeli Ecclesiae nostræ Patroni ac tutelaris Statua, quam etiam secum ceu Palladium suum Sacra-rio nostro iterum intulit. Millia, ut Patriæ suæ fidem Catholicam servaret, subi- vit pericula: tædia sustinuit innumera: columnas perpessus est dirissimas a falsis Fratribus, a suis derelictus, ab amicis insuper habitus, a Principibus, qui ope- ferre poterant, efficaciam auxilio destitutus, stetit ceu desertus pugil, solus in acie, &, cum ore haud posset, relictum Catholicorum in urbe gregem per opportuna intervalla crebris litteris consolatus est, omni interim discretione faventem sibi reddere conabatur Ulensem Magistratum, & hic idem sibi Ambrosium, cui ex Monasterii redditibus pecuniario subsidio nonnunquam succurrebat, ut haberet, unde viveret.

Querelas suas, & causæ suæ iustitiam per plures annos in Camera Imperiali Spiræ proposuit, ac pro recuperatione pristinæ Cœnobii ac fidei libertatis magnis sumptibus, multo sudore ac maximis laboribus urgebat; verum exulcerata tem- pora optatam victoriam semper retardabant.

Nec postremum inter merita Ambrosii locum obtinet conservatio Parthenonis Intzoviensis. Quamdiu Überlingæ hæsit exul frequenter ad illas Ordinis S. Augu- stini Canonissas excurrit, illarumque conscientias (destitutæ enim proprio erant Confessario) in sacro Tribunal expiavit, saluberrimisque Doctrinis ita instruxit, ut datam Deo fidem illibatam conservarent, nec a veteri Religione vel latum unguem discederent, quæ etiamnum Ambrosio ceu viro Apostolico conservationem suam in acceptis referunt, illique ingratitudinis perpetuae tesseram fasculo argenteo intus deaurato (quod pomì figuram refert) donarunt. Anno 1549. ab iis rogatus est, ut Visitatoris munus pro futuro in se suscipere, quod onus quidem egre humilitas il- lius admisit. Primas inter illius curas fuit, ut de proprio, & qui constanter apud illas permaneret, hisce oviculis prospiceret Confessario. Quem etiam mox altero anno obtinuit ex Monasterio Waldseensi.

§. IV.

Revocatur a Magistratu Ulmam, quotum init concordiam.

Per octodecim annos infracto animo sustinuit exilii sui incomoda. Tamen favente cælo ab ipsomet Ulmensium Senatu ob metum Caroli V. revocatus est ad Ulmam, quo etiam redit cum prædicto Wolfgango, & Sebastiano Salzman Überlingano (quem, ne hæreditas aboleretur, in Oeningen Monasterio ad Rhenum sito in Ordinem receperat) anno 1549. inita prius cum Magistratu Ulmensi Con- cordia, super qua Præpositus idem laudatissimus sequentem dicto Magistratui po- stridie reddidit (ut vocant) quietantium:

Quittung Herrn Ambrosii Probst und Convents des Closters zu Wengen allhie gegen einem Erf-Rath daselbsten de anno 1549.

Wur Ambrosius Probst, und des Convent gemeinlich des Closters zu den Wen- gen zu Ulm, Augustiner Ordens, und Costanzer Bistums, bekennen öffent- lich für uns unser Closter, und Nachkommen, und thun kund allermännlich mit dem Briefe, das uns die erenvesten, fursichtigen, ersamen, und weisen Herren Eltern Burgermeister und Rath der Statt Ulm, unser besonder gunstig lieb Herrn und Freind, nach Inhalt und ausweisung des Vertrags, der ietzo von wegen unserer Restitution, und wider Einfäzung zwischen ihnen, und unser besiegelt usgericht worden, und am datum disem Briefe gleich lautet, al unser, und unsers Gottshaus zugehörige, ligende, und fahrende haab und gütter inn und außerhalb der Statt, nich- zit ausgenommen noch hindan gesetz, widerm völlig zu unsern Handen, und in unsren gewalt überantwurt; und ergeben, auch daneben allen Vorrath an Früchten, Zinsen, Parschaft, und Was us den verkauften und verenderten güttern überal erlöst worden, auch erbarlich zugestelt, und entricht, und gemeinlich umb Tom. V. Cam. Regg. Orig. Pars altera,

N n n n all

all ihr und der ihren bisher gehabten Verwaltung in allen Einnahmen , ausgeben , und auch sonst umb alles anders so sich zwischen ihnen und uns bis uf dato verloffen hat , und davon uns iezto , oder künftiglich , einige anforderung immer gebüren macht , dermassen , und so völlige , erbare und genugsame vergleichung , und widerlegung gethan und erstattet haben , daran uns sambt , und sonder ganz dankbarlich und wolbeniegt auch fürohin in ewig Zeit wol beniegen soll ; demnach mit freyen , gueten willen , wolbedachten Sinn , und muthe , auch mit keinen listen , gefärden , betrug noch forcht bewegt , oder hinderredt , snyder us rechten , redlichen , guten , und billichen ursachen , so zehlen , sagen , und lassen wür obgemelte Herren eltern Burgermeister und Rathe der Statt Ulm , gemein ihr Statt , und all ihre nachkommen , auch all die , so sie zu solcher verwaltung unsers Closters überal gebraucht haben , und wer sonst in einigen weg hierinnen quittirens ferner und weiters nottürftig ist , alles und iedes Haab und Guets , so sie und ihre verordnete , bis uf disen tag , von unsfern und unsers Closters wegen inngehabt , besessen , und verwalten , es sey bewäglich , oder unbewäglich ligends oder fahrend , und was siedavon der Zeit ihrer verwaltung eingenommen und empfangen , ganz nichtig , weder kleins , noch groß davon ausgenommen noch vorbehalten , und gemeinlich ganzer ihrer verwaltung , auch alles ihres einnemmens , und ausgebens für uns , unser Closter , auch unser und desselben verWandten , Helfer und nachkkommen , gar und gänzlich ietzo alsdan , und dan als ietzo in höchster und kräftigster form , wie das mit gemeiner und nottürftiger Zierlichkeit der Recht vor allen Richtern und gerichten immer beschehen soll , khan und mag , quitt , frey , ledig und los in Kraft dieses briefs , also das , wir unser Closter , und Nachkommen , noch niemands von unserwegen , um alles und iedes unsers Closters zugehörigen Haab und Guts willen , Wie das immer genandt ist , oder werden möcht , dergleichen von wegen de ren güter so sye in unserm abwesen verkauft haben , noch was sye sonst an oder in unserm Closter abgethan , verändert , oder verbrochen , und gemeinlich von aller ihrer Handlung , verwaltung , Einnemmungs , und ausgebens , noch auch sonst von keiner andern vergangenen , oder darvon herriender sachen wegen fürohin zu ewigen Zeiten , zu den obgemelten Herren Eltern Burgermeister , und Rathe der Statt Ulm , gemeiner ihrer Statt , und Nachkommen , auch denen so sye in diser sachen und verwaltung gebraucht derselben Erben , noch sonst niemands von ihrem , weg , einige gerechtigkeit , forderung , klag noch Zuspruch , nicht mehr haben , suchen , noch gewinnen , noch sye deshalb mit dem wenigsten nicht anlangen , umtreiben , belaidigen noch beschweren sollen nohc wollen , mit keinen gnaden freyhaiten Worten werken , gerichten noch sachen gaistlichen noch weltlichen , noch sonst in kein andere Weise , wie durch menschliche vernunft immer erdacht werden möcht , dan wie uns hiemit in allen oberzälten fallen , und was dem allen anhängig ist , freys eigens willens , und in bester form Rechtens verzeihen , begeben , und unempfänglich machen , aller und jeder Päpstlich , Kayserl . und Königlicher auch aller anderer ietz gegebener , und künftiger erlangten gnaden freyheiten , geschrieben und ungeschibener Recht , Statuten , gewohnheiten , und gebräuchen , auch aller und ieder reduction , restitution , appellation , und aller anderer exception , betrugs , forcht , und wie die alle in gemein , oder insonderheit , in , oder usterhalb der Recht ; zu schürm und behelf , hinwider fürgewend , genannt , oder erschieslich sein möchten , und sonderlich auch der Päpstlichen und Kayserlichen Rechten , die ea wollen , das die gaistlichen güter nicht sollen oder mögen verendert werden de rebus Ecclesiaz non alienandis &c. samt dem rechten gemeiner Verzeihung ohne vorgehend sönderung widersprechend , alles getreulich , und ungefährlich . und des zu wahren urkund , so haben wir unser Probstey und Convents aigen Insigelt öffentlich gehangen an disem briefe , der geben ist uff freitag nach Margarethe den neunzehenden tag des Monats Iulii von Christi unsers lieben Herren geburt fünfzehn hundert und im neun und vierzigsten Jahre ,

(L.S.N.)

S. V.

§. V.

Ambrosius reparat Wengense Cœnobium ægrotat ac moritur.

Quivis facile imaginari sibi poterit quo gaudio, qua consolatione, & quibus gratulantium vocibus ab omnibus Catholicis, quot quot tuac temporis adhuc supererant. Exceptus fuerit Reverendissimus noster Præpositus. Non Jubila, non lachrymæ deerant, quibus tenerrimos inter amplexus illum stringebant multi ex primariis Civibus, ingenti presertim lætitia cumulabantur ob restitutio- nem illius, illi nobiles in Ulma, qui haec tenus in tantis Fidei turbis Catholicæ Religioni constantes adhærebant, quique in Ambrosio omnem suam collocabant fiduciam. Hos inter eminebant ex Patriorum Ordine Ehingeri, & Krafftii, qui summa animi contentione pro conservatione liberi in Religione exercitii semper steterunt imperterriti, et si præviderent honoris & officiorum suorum jacturam, aliaque gravissima incommoda; si majorem partem civium non fecuti, in Religione veteri quæ jam in ore omnium dirissime vapulabat, persisterent. Heroum istorum generositate multum delectabatur Ambrosius, atque ut porro pergerent illustri suo exemplo residuos adhuc in urbe Catholicos confirmare; quibus potuit, verbis efficacissimis, precibusque pro data opportunitate fuit adhortatus.

Quam tristis autem domum revocato Ambrosio fuerit posselli quondam Collegii aspectus, quis satis fando exprimat? Durante novemdecim annorum exilio illud partim in communem urbis pistrinam, partim in locum cedendis monetis destinatum, aliosque profanos in usus conversum deprehendit. Non habebat amplius religiosæ habitationis formam, sed cuncta deformata, domesticam, necessariamque supellecilem præter muros rimarum vitio fatiscentes, omnia neglecta dilaceratam ac dissipatam ipsamque Ecclesiam, domum Deo sacratam, priori ornata destitutam, ac ceu hostium rapinis fuisse exposita, misere vacuam, despoliatam, ac defædatam invenit. His non obstantibus, quemadum vir erat mansuetissimus nullam Magistratu propterea intulit molestiam, sed omnibus mediis illius favorem ulteriorem demereri studuit, illud crebro animo versans in tot bonorum jactura: Dominus dedit, Dominus abstulit. Ac illud alterum: Misericordia Domini, quod non sumus consumpti, ac iterum, cum consumptum te putaveris, orieris ut Lucifer.

Ut optimus Præsul omnium primo erga Deum suam ostenderet gratitudinem; omnem mox operam intendit, ut Ecclesiam Wengensem pristino nitori ac integritati restitueret, collapsa erigeret, colligeret distracta ac a Fordibus purgaretur Dei habitatio. Altaria rursus aliam vestem induere, totumque templum intratibus mox prodidit, quæ fides, quæ Religio in solium iterum sit recepta.

Post hæc Canonicorum Confratrum suorum communia ædificia, Refectorium & Dormitorii cellas ordinavit, quæque ad Oeconomiam spectabant, providentissime reparare cœpit. Quod summopere mirum multis videbatur, fuit, quod nullam omnino immobilium bonorum nostrorum venditionem tot inter sumptus fecerit, sed potius rem domesticam novis fundorum acquisitionibus auxerit, & præterea pauperum necessitatibus instar Patrisfamilias ditissimi abundantanter succurerit, in spiritualibus optimam morum disciplinam inter suos introduxit, subditosque habuit in omnibus sibi obsequentes & qui non tantum debitam illi semper Reverentiam, sed & propter gravitatem in virtutibus colendis, vitiisque puniendis filiale timorem eidem exhibuere, et si, juxta sacræ Regulæ præscriptum semper appetierit ab omnibus magis amari, quam timeri. Ita feliciter & summa fidei constancia Collegii sui habendas rexit, ut tam in adversis, quam secundis rebus semper in ejusdem mentis tenore repertus sit. Tandem senio confectus, atque gravi pedum morbo correptus ægerrime aliquandiu vixit, persuaderi tamen minime potuit, ut a psalmodia publica ob virium imbecillitatem se contineret, sed per Ministros sella se in templum portari curavit. Quasi novus Cœnobii sui Fundator, & Jurium nostrorum maximus Vindex anno ætatis sue 67, Nonis Decembribus, cultu Dei, & Oeconomia prius pie suis commendata, feliciter in Domino obdormivit Anno Domini 1552. ad æterna Angelorum gaudia translatus. Epicedium, quod eidem Venerabili in Christo Patri, ac meritissimo Præsuli Nicolaus Hamerer Brigantinus sequentibus versiculis accinuit, etiamnum extat

GERMANIA CANONICO-AUGUSTINIANA.

Pro ! dolor imites quid non tentatis in ausum
Parcæ ? fas quibus est, parcere morte nihil.

Tristia fila viro pro tali cur secuistis ?

Quem potius vitæ reddere fata decet.

Ambrosius fuerat Kauth hic cognomine dictus

Virtutis cultor , Religionis amans.

Hic in opum solamen erat , fidusque Protector

Implevit gaudens hoc pietatis opus.

Præpositi ille pro merito jam munere fungens

Ingenio , vita sedulitate bona.

Schismata noluerit quod tunc exorta fateri

In miserum raptus cogitur exilium.

Infracto licet orbatus sed pectore mansit ,

Donec sol cursu bis duo lustra daret.

In sua tunc lætus non est sine laude receptus

Auspiciis faustis , auxilioque Dei.

Diruta post operi invigilans ubi templa refecit ;

(Nam prius infectis cuncta prophana jacent)

Exanimum gelidæ corpus dat condere terræ ,

At sua confestim mens super Astra volat.

Huic igitur requiem cupias bene candide Lector

Quem tegit hic magnum parvula terra Virum .

Marmoreum lapidem sex pedum , cui insculpta erat in sacerdotali habitu venerabilis Ambrosii effigies , tumulo ipsius imponebant grati Filii , per plurimos annos Ecclesiæ nostræ ornamentum , cætera remotum , cum Navis Ecclesiæ ad jungeretur sub Præposito Georgio Bonero. Supereft tamen etiam nostris temporibus marmoreum hoc tegumentum. De Ambrosio Casparus Bruschius duas Inscriptiones metricas in Chronologia sua refert , quas hic non omittendas censui.

Inscriptio Chori.

Hoc opus Ambrosius feci , qui nomine Cautus

Dictus eram Patrio , Præpositusque fui.

Quisquis id intueris , mihi læta & fausta precare ,

Susceptumque iterum carpe , Viator , iter.

Alia.

Ambrosius Patrio Kaut nomine dictus in Ulma

Natus , Præpositus istius ædis eram ,

Restitui quam post germani funera belli :

Tu miserere animæ , maxime Christe meæ .



PERIO-

PERIODUS III.

CAPUT II.

De Wolfgango Besserer Præposito XXV.

§. I.

Assumitur in Præpositum, & confirmatur ab Administratore Ecclesie
Parochialis Ulmensis,

Wolfgangus ex nobilissima Ulmensium Patritiorum de Besserer familia, perpetuo frœcunda illa Virorum & toga & sago Inclitorum Matre progenitus, eo ipso anno Canonicum tyrocinium adiit, vestemque religiosam induit, quo Ambrosius Kauth (o virum æterna memoria dignum!) spontaneum in exilium abiit, Hunc ipsum Novitium nullo adhuc sacri Ordinis gradu insignitum, etiam amicorum suorum, quilibet novis in fide dogmatibus, & sequori Religioni essent dediti socium sibi assumpserat, ac Waldseam, ut ulteriori informatione sacri nostri Ordinis consuetudines disceret, sollicitus Pater deduxit. Hic, quocumque se conferret Ambrosius, obedientem Filium ac comitem se præstitit, avitam & Catholicam Fidem etiam exul adamavit, nec unquam a veterum constitutionibus discessit, illique soli (Francisco Karremann Decano excepto, de quo in vita Ambrosii *f. Paternis*) inter tot Wengenses Canonicos in vera & Catholica Religione conservanda animus mansit intrepidus. Tandem post factam reconciliationem cum Ulmensibus, post demortuum Ambrosium, quem velut Patrem amantissimum veris ac sinceris lachrymis fatis deplorare non potuit, in Præpositum assumptus potius fuit, quam electus. Solus enim præter Wolfgangum supererat Sebastianus Salzmann Überlinganus, qui de jure Electioni Præpositi interesse debebat & poterat.

Convocati sunt ad Electionem Reverendus Pater Bartholomæus Steren, & Venerabilis vir Dominus Antonius Kauth, Camerarius & Parochus in Scharenstæten, ex quorum prudentia ageretur hoc negotium consentiente Wolfgango & Sebastiano. Cum autem illico in hac parte suo juri sponte & voluntarie cessisset proprio motu Sebastianus; Wolfgangum eo meliori modo, quo potuit ac debuit, voto suo in Præpositum constituit, Electumque in præsentia Reverendi Patris Bartholomæi ac Venerabilis Domini Antonii Kauth præfati Camerarii in Scharenstæten ad confirmationem & investitionem Auctoritate Apostolica faciendam Domino Erasmo Eckirch Artium & Philosophiæ Magistro, Ecclesiæ parochialis Ulmensium novo more præsentavit. Cur autem non Hospitalario seu Rectori Hospitalis Ulmensis S. Spiritus hæc facta repræsentatio, ad quem hucusque pertinuit Præpositos Wengenses confirmandi jus? Existimo jam tunc temporis obmutatam Religionem prædictum Hospitale non amplius fuisse a Personis Ecclesiasticis gubernatum, aut Rectorem illius a Catholica fide jam defecisse. Scd an propterea juste sibi hoc jus arrogare poterat Parochiæ Ulmensis non Rector, sed Administrator tantum? sed hac de re jam non disputo. Illæsum servatur in nostro Archivo confirmationis hujus, ac insolita Electionis instrumentum publicum debitis solennitatibus munitum ac subscriptum, quod ita sonat.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen, Ego Erasmus Eckirch Artium & Philosophiæ Magister, Ecclesiæ Parochialis Ulmensium Administrator, Constantiensis Diæcesis, Provincia Moguntinensis, universis & singulis has litteras præsentes inspecturis, visuris, lecturis, pariter & audituris, Salutem in Domino sempiternam. Quod nuper Prælatura & Præpositura Ecclesiæ, seu Monasterii sancti Michaelis Archangeli, ad Insulas Inclitæ civitatis Ulmensis, Ordinis sancti Augustini, Canonorum Regularium, dictæ Constantiensis Diæcesis, per mortem quondam Reverendi & Religiösi Patris & Domini, Ambrosii Kauten, dictæ Ecclesiæ, novissimi Præpositi & Possessoris vacante, ne propter gwerrarum discrimina, & nimiam vacationem, ipsa Ecclesia seu Monasterium, incommoda & dispendia pateretur, neve Pastoris defectus.

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

OOOO lupis

lupis rapacibus, incentivum præberet, oves laniandi; Religiosus Frater Dominus
 Sebastianus Salzmann Vberlingensis unicus (nunc temporis) Conventualis & Pro-
 fessus dicti Monasterii, qui de jure debebat & poterat Electioni hujusmodi interesse
 coram Religioso in Christo fratre Domino Bartholomæo Stern, Priore in Monaste-
 rio Wiblingensi, nec non venerabili & Religioso viro Domino Antonio Kauten
 Camerario & Parocho in Scharenftöten, electis, nominatis & juratis scrutatori-
 bus, ac Notario publico, Cæsareo & legali, dilectum nobis in Christo fratrem &
 Dominum Wolfgangum Besserern dicti Monasterii ad Insulas Conventualem Sacer-
 dotem expresse professum, de legitimo thoro procreaturn, ætatis legitimæ & litera-
 turæ competentis, prout edoctus sum, rite & canonice, per viam Scrutinii me
 præsente & assidente, elegit, publice pronunciavit, & in hac parte suo juri, pro-
 prio motu, sponte & voluntarie cessit. Ac eundem electum mihi tanquam Com-
 missario Apostolico, & Confirmatore, pro ipsius electi, & electionis de eo factæ,
 confirmatione, adprobacione, ratificatione, nec non administrationis spiritualis
 & temporalis commissione insuper etiam possessionis realis, actualis, & corpora-
 lis, traditione, & assignatione, vivæ vocis oraculo personaliter in loco Capitulari
 presentavit. Ego igitur Erasmus Eckirch, Artium & Philosophiae Magister Pa-
 rochialis Ecclesiæ Vlmensium Administrator, ad dictæ electionis, & electi confir-
 mationem, procedere volens, secundum Apostoli dictum, Nemini cito manum
 apponentes, Proclamationis publicum edictum præmisi, omnesque & singulos, sua
 interesse putantes, & se contra electionem hujusmodi, opponere volentes, pri-
 mo, secundo, tertio, & peremptorie citavi & vocavi. Et quoniam nullus op-
 positor, seu cooperator coramne pro tunc comparuit; idcirco via contradicendi,
 opponendi, & excipiendi de cætero omnibus præclusa, ac aliis præmittendis
 præmissis, & servatis rite servandis, cum juri & rationi congruit, &
 convenit æquitati, ut justa potentibus non sit denegandus assensus, dictis Domi-
 nis Scrutatoribus, mihi assidentibus ad confirmationem electionis & Electi hujus-
 modi, duxi procedendum, & processi, inquisitione igitur diligentí, de ipsius
 fratris Wolfgangi Besserers electi moribus, conditionibus, scientia, sinceritate,
 modestia, & aliis quæ ad hujusmodi dignitatis & Prælatüræ apicem requiruntur
 præhabita ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus sancti
 & glorioſissimæ semper Virginis Mariae, sancti Augustini, nec non sancti Michaelis
 Archangeli, quorum præsens negotium existit, electionem de Persona, dicti
 Fratris Wolfgangi factam, & ipsum electum Auctoritate Apostolica, mihi concele-
 sa, & qua fungor in hac parte per manuum mearum impositionem, approbavi, &
 confirmavi, ac approbo, ratifico, & confirmo per prælentes, ac ipsum Dominum
 Electum Wolfgangum Besserern in dicti Monasterii ad Insulas Præpositum, &
 Prælatum præfeci, ac per annuli traditionem & Pirreti impositionem institui, in-
 vestivimus, & enundem de eadem providimus, curam animarum & administra-
 tionem ipsius Monasterii in spiritualibus & temporalibus sibi in animam ejus fide-
 liter committendo, Consequenter præfatum Dominum Wolfgangum electum &
 confirmatum cum solemnni Processione Conventus ad Chorūm Ecclesiæ perduxī,
 & coram summo altari prostrato campanis pulsatis, & hymno TeDeum Laudamus
 ex altis vocibus decantato solemniter cum versiculo & collecta solitis & consue-
 tuis, & inde eo elevato, & in summo altari constituto autoritate supra dicta præ-
 libatis & aliis fratribus conventionalibus dicti Monasterii in virtute sanctæ obedienti-
 aæ injunxi & mandavi, quatenus eidem electo & confirmato, tanquam Patri,
 Prælato, & Pastori animarum suarum, obedientiam regularem promitterent debi-
 tam & condignam, qui omnes tanquam obedientiæ filii flexis genibus obedientiam
 regularem ad manus dicti Domini Wolfgangi, electi & confirmati Præpositi pro-
 miserunt & fecerunt. Demum eundem Dominum Wolfgangum Besserern in
 Choro, ad stallum Præpositi in signum realis, actualis, & corporalis possessionis
 perduxī, Sigillum & claves dicti Monasterii sibi tradendo, ac deinde ad summum
 Altare stando, qui ibidem accensis candelis, & cincta per collum stola, tactis sa-
 crosanctis Scripturis coram me, prædictisque Scrutatoribus, & Fratribus conve-
 ntualibus corporale præstitit Juramentum sub hac forma: Ego Frater Wolfgangus
 electus & confirmatus Præpositus hujus Monasterii juro & promitto Omnipotenti
 Deo, Beatae Mariae Virgini, sancto Augustino, & sancti Michaeli Archangelo hu-
 jus Ecclesiæ & Monasterii Patrono, quod in antea, fidelis ero Ordini nostro, &
 pro posse meo Statuta ejus tenebo, Bona, Jura, & Possessiones hujus Monasterii cu-
 stodiā, ac congregata conservabo, sicme Deus adjuvet, & sancta Dei Evange-
 lia. Dehinc Electionem, ac Electum hujusmodi coram populi multitudine publi-
 cavi

cavi. Postremo s̄æpedictam Dominum Wolfgangum electum & confirmatum Præpositum ad habitationem solitæ Residentiæ Præpositi induxi, sibique realem actualem, & corporalem possessionem ejusdem Præposituræ modo & forma, melioribus, quibus potui, assignavi adhibitis in his Solennitatibus debitiss & consuetis. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes litteras, sive præsens publicum Instrumentum hujusmodi Processum in se continentes, seu continens, exinde fieri, & per Notarium publicum infra scriptum, subscribi, & publicari mandavi, Meisque & Conventus prælibati Monasterii ad Insulas Sigillorum jussi, & feci appensione communiri. Datum & actum in s̄æpedicto Monasterio ad Insulas Inclytæ civitatis Ulmensis, ac locis supradictis, Anno a Nativitate Domini Millesimo, quingentesimo secundo, Indictione decima, die vero Jovis, quæ erat decima quinta Mensis Decembris, hora decima ante Meridiem, vel quasi Pontificatus sanctissimi in Domino Patris & Domini Domini Julij Divina Providentia Papæ Tertii Anno quarto, præsentibus tunc & ibidem præfatis Dominis Scrutatoribus, nec non honorabilibus & Religiosis vitis Domino Laurentio Esslingern custode Monasterii in Marchtal, Domino Joanne Beihel præmissario Ulmensi, & Domino Joachimo Piscatoris Vicario Parochiæ in Urspring, Clericis Constantiensis Diæcesis, testibus ad præmissa votatis specialiter atque rogatis.

Et ego Theodoricus Scherlin civis & Archigrimateus Inclytæ Reipublicæ Ulmensis, Constantiensis Diæcesis, Moguntinensis Provinciæ, publicus sacra Imperiali Auctoritate Notarius, quia prædictis, Electioni, assensui, cessioni, Præsentationi, Citationi, Approbationi, Confirmationi, Institutioni, Provisioni, Possessionis traditioni, Publicationi, Juramenti Præstationi, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sic, uti præmittitur, per præfatum Venerabilem, Religiosum & eruditum virum Dominum Erasmus Eckirchen Artium & Philosophiæ Magistrum, Ecclesiæ Parochialis Ulmensium Administratorem &c. coram eo fierent & agerentur, una cum prænominatis Dominis Scrutatoribus, & testibus præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi, idcirco hoc præsens publicum Instrumentum, hujusmodi processum Confirmationis in se continens, manu alterius, me aliis præpedito negotiis, fideliter scriptum, exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redigi, signoque nomine & cognomine, meis solitis & consuetis una cum præfatorum Dominorum Erasmi Eckirchs Ecclesiæ Parochialis Ulmensium Administratoris & Conventus Monasterii ad Insulas, Sigillorum appensione signavi, in fidem, robur & evidens testimonium omnium & singulorum præmissorum ad hæc debita cum instantia, rogatus & requisitus.

(L.S.)

(L.S.)

§. II.

Supplicat Wolfgangus Romano Pontifici pro nova Confirmatione.

Pluribus, ac ipsimet Wolfgango de certis causis non videbatur hæc sui electio ac confirmatio de jure subsistere; revera etiam, abolito semel hospitalarii Ulmensis Officio, Præpositos Ulmenses confirmandi jus pertinuit ad ipsosmet Romanos Pontifices. Quare ex doctorum virorum Consilio Wolfgangus ad Romanum Pontificem Sanctissimum Dominum nostrum Julium tertium sequentes scripsit supplices. Sanctissime Pater ad oscula beatissimorum pedum &c.

Supplicibus hisce litteris pro debita erga sacrosanctam Sedem Apostolicam obedientia, ego Wolfgangus Præpositus Ecclesiæ seu Monasterii S. Michaelis Archangeli, ad Insulas Oppidi Imperialis Ulmensis S. Augustini Canonorum Regularium Constantiensis Diæcesis humiliter peto, quod cum nuper post obitum Reverendi Domini Ambrosii Kauth, Prædecessoris mei in Præpositum præfatae Ecclesiæ electus sim, in eam autem paupertatem Monasterium illud sit perductum videlicet quod ego & D. Prædecessor meus Lutherana hæresi persecuti, plusquam viginti annos in Exilio alienis peregrinisque locis, & Monasteriis vivere coacti, omnibus & singulis redditibus annuisque proventibus exuti, & tandem annis duobus proxime effluxis ita restituti sumus, ut omnia diruta & devasta ibi

C O O O O 2

dem

dem invenerimus, adeoque quod in reparandis ædificiis anni proventus vix sufficiant, tantum abest, ut ad ipsius Conventus sustentationem, quem novitiis jam aliquot reparare instituimus, aliquid reliqui restare videtur, Sanctissima Paternitas Vestra me propter Deum benignissime confirmare, in protectionemque Beatisimorum Apostolorum Petri & Pauli suscipere dignet, quemadmodum & olim aliquando grati Prædeceſſores mei in sanctissimam tutelam recepti & confirmati sunt, præterea res nostræ in Germania ita constitutæ sunt, ut maxime dubitemus, quamdiu tute nobis in hoc vel alio loco vivere consultum sit. Si vero quæ impensæ in Cancellaria saltem aliquantulum tolerabiles exſolvendæ essent, dabimus operam ut Elemosyna hinc inde a bonis Catholicoſ collecta ſatisfaciamus. Nos Beatitudini & Sanctitati vestræ commendando, in quorum omnium testimoniopium manu mea propria ſubſcripsi & meo atq[ue] Conventus Sigillo munivi. &c. 1553.

Julius Tertius, qui erga Nationem Germanicam ſemper optime affectus erat, minime ſurdo aure excepit Wolfgangi Supplicationem, ac ſequenti Bulla illum clementiſſime conſolari dignatus eſt anno Pontificatus ſui quarto, in qua Præpoſituram Wengenſem expreſſe vocat: Præpoſituram Dispoſitioni Sediſ Apostolicæ ſpecialiter riferuatam.

Julius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto Filio Wolfgango Besserer Præpoſito Monasterii per Præpoſitum gubernari ſoliti S. Michaelis Archangeli ad Insulas Oppidi Imperialis Vlmensis Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Constantiensis Diæcesis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Religioſis zelus, vitæ ac morum honestas, aliaque etiam laudabilia probitatis & virtutum merita, ſuper quibus apud nos fide digno commendaris teſtimonio, nos inducimur, ut tibi reddamur ad gratiam liberales exhibitam, ſi quidem nobis pro parte tua petitio continebat, qualiter Præpoſitura Monasterii per Præpoſitum gubernari ſoliti S. Michaelis Archangeli ad Insulas Oppidi Imperialis Vlmensis Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Constantiensis Diæcesis Provinciae Moguntinensis, quam quondam Ambroſius Kaut olim Ipsius Monasterii Præpoſitus, dum viveret, obtinebat, per obitum ejusdem Ambroſii extra Romanam curiam defuncti vacante dilecti Filii Conventus dicti Monasterii, ad quos electio personæ idoneæ ad Præpoſituram hujusmodi, dum pro tempore vacat, de antiqua & approbata, haec tenusque pacifice observata conſuetudine pertinere dignoscitur, te ejusdem Monasterii Præpoſitum concorditer elegerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, indubitanter electionem hujusmodi & inde ſecuta quæcumque certis de cauſis, viribus non ſubſttere, & ſicut accepimus dicta Præpoſitura adhuc vacare noſcatur, nos tibi præmiforum meritorum tuorum intuitu ſpeciale gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque decretis ſi modo ratione & p[ro]n[oc]e, a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latiſ ſi quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum duntaxat praſentem conſequendum harum ſerie absolventes, & abſolutum fore censentes, & electionem hujusmodi ratam & gratam habentes, Præpoſituram prædictam, quæ conuentualis exiſtit ac cuius & illi forſan annexorum fructus redditus & proventus quatuor marcharum argenti puri ſecundum communem estimationem, valorem annum ut afferis non excedunt, ſive ut præmititur, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona ſuper liberam reſignationem dicti Ambroſii vel cujuſvis alterius de illa in dicta curia vel extra etiam coram noſtro Notario publico & testibus ſponte factam aut conſtitutionem felicis recordationis Joannis Papæ Vigili ſecundi Prædeceſſoris noſtri quæ incipit; Execrabilis; ſeu affectionem alterius Beneficii Ecclesiastici ordinaria authoritate collati vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit. Quod ejus collatio juxta Lateranensis ſtatuta Consilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsaque Præpoſitura diſpoſitioni Apostolicæ ſpecialiter reſervata exiſtat, & ad illam conſueverit etiam alias quis per electionem affumi, ei que etiam cura jurisdictionalis immineat animarum, ſuper ea quoque inter aliquos lis, cuius ſtatum præſentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore datæ præſentium non ſit in ea alicui jus quæſitum ſpecialiter, cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis Apostolica ſibi Authoritate conferimus, & de illa etiam provideamus. Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Auguſtenſi, & Balneoregiensi Episcopis ac dilecto Filio officiali Auguſtenſi per Apostolica ſcripta mandavimus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios, te re ipſa priu[a] a te noſtro & Romanæ Eccleſiae nomine fideliſtatis debitæ ſolito juramento juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam

clusam vel Procuratorem tuum nomine tuo incorporalem possessionem Præpositure ac annexorum juriumque & pertinentium prædictorum inducant Authoritate nostra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illico detentore, facientes te, vel Procuratorem prædictum ad Præposituram hujusmodi ut mōris est admitti tibique de illius fructibus redditibus proventibus juribus & obuentibus universis integre responderi; contradicentes Authoritate nostra Apostolica postposita compescendo non obstante pia memorie Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri, & aliis apertis constitutionibus, nec non Monasterii & quemadmodum ut assertis expresse professus existit O' dinis, prædictorum etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis ac Præposituris hujusmodi speciales vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generaliter dicte Sedis vel taxatorum ejus litteras impetraris etiam si per eas ad inhibitionem Reservationem & Decretum, vel aliis quemvis per Processum, Quibus omnibus te in affectionem Præpositoriae volumus anteferri, sed nullus etiam hoc eis quoad affectionem Præpositoriarum vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari seu si venerabili Fratri nostro Episcopo Constantiensi & præfatis conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisi ab eadem sit sede indulatum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli aut quandoque interdici suspendi, vel excommunicari non possint, quodque hujusmodi Præpositoris vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctam vel separata spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto eodem mentionem, & qualibet alia dicta Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, effetus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de qua cujusque tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si fecus super eis a quo cumque quavis Authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hujusmodi paginam nostræ absolutionis, collationis, provisionis, mandati voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem attentare præsumperit: indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Domini Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo tertio, pridie nonas Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

Hæc Bulla solemniter Romæ publicata fuit per Nicolaum Geneceyum Episcopum Balneoregiensem Judicem & Executorem a Sede Apostolica specialiter deputatum, cum vero ad executionem ulteriori faciendam nequiverit pluribus aliis arduis in Romana curia præpeditus negotiis venire; Reverendissimo in Christo Patri ac Domino Domino Dei & Apostolica Sedis Gratia Episcopo Constantiensi demandavit, ut a Præposito Wengensi Domino Wolfgango Besserer Sanctissimi Domini nostri Papæ & Romanæ Ecclesiæ Nominis fidelitatis debitum solitumque juramentum juxta formam sub Bulla privata introclusam, vel per Procuratorem suum ejus Nominis in corporalem, realem & actualem possessionem Præpositorie ac annexorum Juriumque ac pertinentium omnium ponat & inducat, ponique & induci faciat, ac defendat inductum, quod & præstito prius juramento est factum.

§. III.

Obtinet Roma Bullam aliam contra Perillustres Fratres Baumgartneros.

Quo exulabat Ambrosius Antecessor Wolfgangi, tempore, ut plura ex bonis Monasterii immobilia injuste fuerint distracta, ac inter alia Piscaria una a Perillustri ac generoso Domino Joanne Baumgartnero absque prædicti Ambrosii ipsius usque Monasterii consensu fuerit empta, nuper ostendimus. Ac licet Ambrosius idem prædictum Joannem, antequam moreretur, ipsoque Ambroso postmodum defuncto Wolfgangus Perillustes ejusdem Joannis Filios videlicet Joannem, Georgium, & Davidem Baumgartneros Fratres post obitum illorum Patris, sepius & multis modis requisiverint, ut bona hujusmodi dicto Monasterio eo pretio, quo ab ipsorum Patre empta fuerant, restituerebant, nihilominus id facere indebita recusarunt, in noti modicam ipsius Monasterii jacturam & detrimentum, quare Wolfgan-

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera,

P P P P P

gan

gangus supplicavit regnante Paulo Quarto Romano Pontifice pro opportuno Juris remedio Pontificalia Authoritatē munito. Pro hoc effectu consequēdo prælaudatus summus Pontifex Bullam sequentem in favorem Wolfgangi expediri fecit Anno 1555. die 28. Augusti, per quam Reverendissimis Prælatis sancti Gebhardi Petrusi Constanciensis & in Roggenburg ac Wiblingen Augustensis & Constantiensis Diæcesis Monasteriorum Abbatibus commissio data est, ut ad restitutionem Bonorum etiam per censuras Ecclesiasticas prædictos Perillustres Liberos Barones compellerent. Verum contra hujusmodi Gigantes effectum est nihil, quem plerumque effectum illo ævo habuere hujusmodi Bullæ. Pauli IV. Bullæ tenor est sequens.

Paulus Pontifex quartus &c.

Dilecti Filii, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Exponi nobis nuper fecit dilectus Filius Wolfgangus Besserer, modernus Præpositus Monasterii, per Præpositum gubernari soliti, sancti Michaelis Archangeli, Ordinis sancti Augustini, Canonorum Regularium, Imperialis Ulmensis Oppidi in Wengen, Constantiensis Diæcesis, Provinciæ Moguntinensis, quod alias cum bona memoria Ambrosius Kaut, dum viveret, ipsius Monasterii Præpositus, ipsiusque Wolfgangi immediatus Prædecessor, una cum eodem Wolfgango tunc ejusdem Monasterii Canonico, ob Lutheranam hæresin ibidem gravantem dictum Monasterium relinquere, & tutiorem in locum se se recipere, & interim per viginti fere annos in exilio manere cogeretur, ac antequam ad dictum Monasterium reverteretur, nonnulla dicti Monasterii sui bona immobilia & inter alia una pilcaria, quondam Joanni Baumgartnero tunc in humanis agenti (absque dicti Ambrosii tunc Præpositi ipsius Monasterii illiusque Conventus, quem ipse: quia alii ejusdem Monasterii Canonici, dicta hæresi infecti a fide Catholica defecerant: in hujusmodi exilio refecerat & auxerat, consensu, ac contra juris dispositionem) alienata seu vendita fuerint. Et licet Ambrosius idem tunc adhuc in humanis agens dictum quondam Joanne, antequam moreretur, ipsoque Ambrosio postmodum defuncto dictus Wolfgangus modernus ejusdem Monasterii Præpositus filios ejusdem quondam Joannis, videlicet Joannem Georgium, & Davidem Baumgartneros fratres, post obitum illorum Patris, sèpius & multis modis requisiverint, ut bona hujusmodi dicto Monasterio eo precio, quo ab ipsorum Patre empta fuerant, restituerent: Nihilominus tam quondam Joannes quam ejus filii præfati id facere indebita recusarunt, in non modicam ipsius Monasterii jacturam & detrimentum. Et propterea ejusdem Wolfgangi Præpositi non parum interest desuper cum Joanne Georgio & Davide Fratribus dicti quondam Joannis Filiis, Bonorum hujusmodi detentoribus judicialiter experiri, ipsoque ad debitam Bonorum hujusmodi restitutionem compelli facere, quare pro parte dicti Wolfgangi Præpositi nobis fuit humiliiter supplicatum, ut omnes & singulos, quas ipse contra Joannem Georgium & Davidem Baumgartneros fratres Bonorum hujusmodi detentores, præfatos omnesque & singulos alios sua in præmissis communiter vel divisim interesse putantes de & super occupatione eorundem Bonorum ac indebita recusatione restitutionis illorum, nec non surreptione, abreptione, nullitate & invaliditate ejuscumque prætensi rescripti Apostolici seu literarum Apostolicarum super approbatione & confirmatione venditionis seu alienationis Bonorum hujusmodi forsan per eosdem Joannem Georgium & Davidem Fratres detentores, aut dictum quondam Joannem eorum Patrem, ut prætenditur, imperatorum ac inde secutorum quorumque, rebusque aliis in actis causarum hujusmodi latius deducendis, & illorum occasione tam conjunctim, quam divisim habere & monere vult & intendit causas aliquibus probis viris in partibus istis commorantibus audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas committere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qualitates, quantitates, situaciones ac veros annuos valores Bonorum hujusmodi, aliorumque forsan hic de necessitate exprimendorum tenores, formas & compendia pro plene & sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: discretioni vestrae per præsentes remittimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum vocatis dictis Joanne Georgio & Davide Baumgartneris omnibusque & singulis aliis sua communiter vel divisim interesse putantibus, causas prædictas etiam summarie simpliciter & de pleno absque strepitu & figura judicii prout in beneficialibus cum omnibus & singulis illarum incidentiis, defendantibus, emergentibus, annexis &

con-

connexis auctoritate nostra audiatis, & auditis hinc inde propositis eas decidatis, finitis, debitoque fine terminetis, facientes quod decreveritis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari.

Nos enim vobis & cuilibet vestrum Joannem Georgium & Davidem omnesque & singulos alios supradictos tam in Decreto, quam in executione citationis per nos decernendae nominandos, si vobis summarie & extrajudicialiter constituit, quod ad eos pro citationibus ipsis faciendis tutus non pateat accessus per editum publicum citandi, ac eis, nec non quibusvis Judicibus, Personis & Commissariis, quavis etiam Auctoritate fungentibus sub censuris Ecclesiasticis, ac pecuniariis vestro arbitrio moderandis & applicandis penitentias, toties quoties opus fuerit inhibendi, nec non eosdem Joannem Georgium & Davidem omnesque & singulos alios, Bonorum hujusmodi detentores, ut Bona ipsa eidem Monasterio restituant, illaque ei vacua & expedita dimittant etiam sub censuris & penitentias hujusmodi damnabilitet incidisse & incurrisse declarandi, illasque iteratis vicibus aggravandi, nec non interdictum Ecclesiasticum apponendi: ceteraque in praemissis & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna appellatione frivola postposita faciendi, dicendi, gerendi, exercendi & exequendi, etiam sub censuris & penitentias predictis, prout justitia suadebit & Ordo dictaverit rationis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, plenam & liberam per easdem praesentes concedimus potestatem. Non obstante felicis recordationis Bonifacii Pontificis VIII. Praedecessoris nostri de una & in Concilio generali edita de duabus diebus, dummodo ultratres dictas aliquis Auctoritate earundem praesentium non trahatur, ac quibusvis aliis Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus contrariis quibuscumque. Aut si Joanni Georgio & Davidi praefatis vel quibusvis aliis ab Apostolica Sede sit indulsum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indule hujusmodi mentionem. Datum Romae apud S. Marcum sub anno Piscatoris die 28. Augusti 1555. Pontificatus nostri anno primo.

P. Barbadicus, ab extra Literarum
Apostolicarum Aus. Milet.

Suprascriptionis Tenor.

Dilectis Filiis sancti Gebhardi Petrusii Constantiensis & in Roggenburg
ac Wiblingen Augustensis & Coustantiensis Diæ-
cesis Monasteriorum Abbatibus & Eorum cuilibet. &c.

Laudanda quidem fuit hac in re Wolfgangi sollicitudo; nihil tamen efficere potuere Reverendissimi Praesules, ut supra memini, licet fulmine Romano armati.

Plus profuit Canoniae nostræ, quæ ceu Phoenix ex cinere iterum resurgebat, Augustissimi Imperatoris Caroli quinti Clementia, qui rerum nostrarum angustias miseratus a variis oneribus ad Wolfgangi preces nos immunes esse voluit. Interim alios Deos inimicos sibi, maleque faventes expertus est, qui etsi miseriarum nostrarum probe essent consciæ, injustis nihilominus exactionibus Praesulem nostrum vexabant, quibus tamen imperterritus restitit, Anno ætatis suæ quinquagesimo, cum ad septennium fere Reipublicæ Wengensi præfuissest Anno restitutæ salutis Apoplexia tactus Anno 1559. pie in Domino obiit, Cujus anima Deo vivat.



P p p p 2

PERIO-

PERIODUS III.

CAPUT III.

Sebastianus Præpositus XXV. Matthias Præp. XXVII.
Joannes Præp. XXVIII.

§. I.

De Sebastiano Præposito XXVI.

Regnante Romano Pontifice Sanctissimo Domino nostro, Domino Pio IV. Sebastianus Salzmann Anno 1560. Prælatura Wengensis honores adeptus est. Überlingæ Patrios Natales habuit. Sub venerabili nostro Ambrosio Kauthio Oeningæ regulari indutus habitu, ac tandem emissa Professione Religiosa in Sacerdotem promotus, Ulmamque ductus inter Canonicos Wengenses ob talentorum suorum, ac optimæ Indolis præstantiam mox alicujus Nominis esse cœpit. Singulari animi magnitudine prædictus nihil non fere ex omni parte perfectum molitus est. Domesticam supellecilem, non nisi pretiosis utensilibus, aut cum artificio elaboratis exornavit. Magnificus fuit murorum structoram domi quam foris. Ubique fere illius fulgent insignia, solidamque illius prudentialiam loquuntur. Relicta ab Antecessore suo debita intra paucos annos plene exfolvit, atque a gravissimis hisce vinculis dilectam suam sponsam, Wengensem Canoniam liberavit. Humanitate, affabilitate, & discretione sua etiam illorum animos amicissimos sibi reddidit, qui in Religione ab ipso dissentirent, nihil tamen admittens, quo vel pupillam oculi Religionis Catholicæ violari posse creditit. Subditos suos Religiosos amavit ut Pater, quem pariter redamaverunt ut filii, et si pro loco ac tempore severus ac justitiae tenax evulserit, & destruxerit, quod ad religiosi horti sui ornatum non pertinuit. Inter recrudescentia identidem Religionis dissidia Antecessorum suorum vestigiis inhæsit, ac semper pro veritate stetit. Catholicorum res publica Ulmae jam surgere, jam vacillare, jam penitus corruere videbatur. In Caroli V. ac deinceps Ferdinandi I. autoritate unicam post Deum suspendebant anchoram, qui veterem Religionem tam gravissimis litteris ac minis, quam sapientissimis ordinationibus Ulmae suffulciebant. Interim tamen summi Pastoris fideles oviculae palabantur, ac ex una in aliam migrare debebant Ecclesiam. Jam anno 1554. extincta erant in primario civitatis templo luminaria, ac sublatum omne Religionis Catholicæ exercitium. Pastores alienum securi gregem suum deseruerunt. Sacerdotes Catholicæ jam non erant, qui ex Officio invigilare oviculis desertis, vel jam possent, vel auderent, nec erat, qui pasto stipendio (etsi hoc Cæsari non semel esset promissum) necessarios Pastores substitueret in civitate Imperii tam ampla, tam celebri. Sed an Religiosi cœtus ac familiae non amplius supererant? Fratres Prædicatores jam anno 1531. Ulmae terga verterunt, Fratres Ordinis Minorum tandem etiam suum clausere templum, præter Canonicos nostros ex Catholicis Sacerdotibus solus domus Ordinis teutonici Sacellanus lachrymantibus oculis ac in fide avita cohstans hanc intuebatur miseriā, cui tamen publico Magistratus Decreto omnis Parochialis cura per civitatem interdicta fuerat. Confugientibus itaque ad Wengensem Ecclesiam residuis Catholicis civibus tota animarum cura in Sebastianum, ejusque Religiosos Sacerdotes translatæ est, quam illi etiam summus Diæcesis Constantiensis Pastor, ac Episcopus S.R. E. Cardinalis DD. Marcus Siticus sequentibus patentibus litteris anno primum 1578. commendavit per suum in Spiritualibus Vicarium.

Vicarius Reverendissimi in Christo Patris & Illustrissimi Principis ac Domini D. Marci Sitici S. R. E. Cardinalis, Episcopi Constantiensis, & Domini Augæ Majoris &c. in Spiritualibus Genrealis, Venerabili nobis in Christo dilecto Domino Sebastiano Salzmann, Præposito Monasterii Ordinis Canonicorum Regularium cum Wengen in Oppido Imperiali Ulma, Salutem in Domino sinceram. Cum verissime sit, nobisque certo persuadeamus, esse adhuc in - & circa Oppidum Imperiale Ulmam complures Fideles homines, qui haecenus constantissime in S. Roma-

na

Tom. V. fol. Reg. Orig. B

næ & Cath. Ecclesiæ Confessione perseveraverunt, eosdem sicut oves errantes sine Pastore, & animarum Curatore vivere, cupiamusque ex intimo cordis affectu, illorum saluti consulere, atque quæ ad augendam devotionem pietatemque facere evidentur, ex officio libentissime concedere, ordinare, & demandare: Tibi igitur, de cuius discretione, & Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, tenore præsentium concedimus, teque etiam adhortamur, & jubemus, ut eosdem fideles homines, cujuscumque status, conditionis, sexusque fuerint, atque intra vel circa Oppidum Imperiale Ulmam, sine Catholicò Pastore & animarum Curatore, tanquam oves dispersæ extiterint, sacrosanctis Sacramentis per te, vel quem tu substitueris, providere, reliquasque eiusmodi divina Officia peragere, plena potestate sic tibi concessa possis, debeas & velis, quæ illorum verus Pastor & Parochus ficeret, vel facere deberet. Præsentibus ad Reverendissimi nostri Ordinarii, vel nostram revocationem usque duraturis. Datum Constantiae Anno Domini 1578, die decima septima Martii Indictione 6ta.

In absentia Notarii

(L.S.)

Subscripti Sigillifer.

Eiusdem pœne tenotis est Epistola Reverendissimi Balthasaris Episcopi Ascalonensis, & Constantiensis Suffraganei, ad Præpositum Sebastianum Anno 1582. data, in qua paritet Cura animarum tam extra quam intra civitatem Ulmensem eidem cominendatur, quæ tamen germanico concepta est stilo.

Ehrwürdiger gaistlicher lieber Herr, Euch seyen unser freindlich gutwillig dienst zuvor &c. Mir sind bericht Worden, das nit allein diejenige Innwohnen und burger zu Ullm, die der neuen Religion oder Augspurgischen Confession, sonder auch die der alten waren Catholischen Religion sind, effend und speisend Fleisch an verbottenen Tagen im Jahr und auch in der vürzigdägigen fasten, dessen wür uns höchlich verwunderet haben, dieweil dan ein solches strackſ wider die Ordnung und Gebott der wahren alten Catholisch Kürchen ist, undt dessen halb auch ein schwere grosse Sünd und Vngehorsam ist, dardurch allerley Unfall und Vnglick über solche Leuth möchte von Gott verhencikt werden, und dann das klein Heißflein und Zall der Catholischen zu Vlm in ander Stücken der Religion geriemt werden, als gute gehorsame, und eyferische Künder des waren alten Globens. So ist unser bevelch und Mainung, gelangt och unser hochfleissl. Bitt an euch, ihr woll nd denselben guten alten Christen, durch euren Priestern in der Beicht, och in andern Weeg und insonderheit, durch die würdigen Vätter zu Söflingen, zu sprechen, in unsren Nahmen, das sy bey der gehorsame der Kürchen Gottes, solcher Unordnung und Vngehorsame sich enthalten, und firtherhin an verbottenen Tagen, so vil immer möglich und gesein mag, weder Fleisch effend, noch speißend, sunst mächte man etwa ander mitel und Weg gegen den Ungehorsame gebrochen also das es leydlicher were, sy hettend für sich selber in gebürender gehorsame erzaiget, sunst aber mit krancken schwachen Leüthen item mit Kindbettern, grossen schwangern Frauen, und dergleichen Nothwendigkeiten, wollen mir euch und euren obgemeldten ordentlichen Bichtvettern zu dispensiren bewilligt haben. Das wolten wür euch frintlicher Christlicher guten Mainung nit verhalten, und ermanend euch samt den eurigen, ir wollen wüter fleissige guete Hirten sein, und dem Völcklein, mit Worten Lehr und Leben wohl und fruchtbarlich fürstohn, und wellen allen glöbigen Catholischen Christen bey euch unsren freintlichen Grus und Willige Dienst vermelden. Datum Costanz den 14. Februarii Anno 1582.

Balthasar Bischof zu Ascalon,
und Weychbischof zu Costanz.

Andreas Wendelstein D. Vicarius
Constantiens.

Quæ hactenus Canonici Wengenses in cura animarum tam extra quam intra civitatem præstiterunt, ad illud nullo jure aut obligatione parochiali sed ex mera charitate ad stricti fecerunt. Postquam tamen ab Eminentissimo Sacrae Romanæ Ecclesiæ Cardinali & Diæcesis Constantiensis Episcopo Catholicae ovinulae fuere eorumdem vigilantiæ commendatae, semper ex *Justitia* credidere se esse obligatos, ut tanquam veros sese illius Vicarios ac Vice Parochos gererent, licet hæc omnia gratis, & absque stipendio conducti in bonum animarum usque ad moderna tempora hoc præstent ac semper præstiterint Sebastiani Successores.

Dignissimus hic Præfus postquam annis 25. Collegio nostro tam in Spiritualibus, quam Temporalibus maxima cum laude præfuerit; morbo gravissimo subito correptus fuit, ac periculose admodum de misericordia Dei tentari cœpit, sed quoniam Misericordia Dei super omnia opera ejus, post devotissime suscepta moribundorum Sacraenta tentator mox recedere debuit ac priori tranquillitatì animi est restitutus, ac feliciter diem suum ultimum clausit anno 1585. Sepultusque fuit iuxta summum Altare versus Sacristiam, ex qua parte tabulam extreum judicium repræsentantem artificiosissime Georgium Reiterer Reipublicæ Ulmensis Pictorem pingi curavit, sub qua illius Epitaphium sequens legitur:

Epitaphium

Reverendissimi Domini Præpositi Sebastiani Salzmann.

Hæsus Vates residens in stramine Jobus
Mortalis querulo Planxit sub carmine vitam.
Mox uthomo fuerit vitales ductus in auras,
Cogitur ad centum casus, centumque labores,
Nec solidamque potest fixus traducere vitam.
Sæpe diem lætum miserabilis insequitur lux
Atque crucem celerem celeris trux insequitur crux.
Omnis mortalis fugit, & vanescit ut umbra,
Et veluti fœnum patitur sub falce ruinam,
Ille Patrem plorat, plorabit & altera Matrem;
Sic Pater & Mater mæsti sua pignora fiebunt.
Quid non in lachrimas totus quoque solvar? amati
Cum Patris intueor Reverendi flebile bustum.
Flectibus hic aras sacras templumque replebo.
Te peto, temors ô truculenta! expostulo tecum:
Ausa virum tantum es fatali sternere falce?
Atris qui fuerat revocari dignus ab umbris
Mansuetus, facilis, mitisque & amabilis omni?
Et quid opus multis? fuit ingeniosus & acer,
Discretusque satis quibus & cur quomodo, quando.
Hunc deflet noster Reverendus & ille Mathias,
Et sequitur cœtus Wengensis carmine tristi.
Vixisti ô Reverende Pater tua fata tulisti.
Vivat Successor tuus hic & Dii bene vertant!
Verum tu longe meliori vivito in urbe!
Lux æterna tuis æternum luceat umbris!

§. II.

§. II.

De Mathia Vbelacker Præposito XXVII.

Mathias Vbelacker eadem cum Antecessore suo Patriam habuit civitatem Vberlingam, eadem etiam dignitate fulsit, nostrorumque Præpositorum Catalogum numero XXVII. ornavit, virorum Illustrium, quos Uberlinga frequenter genuit, merito inferendus Choro. Præsidere cœpit anno 1585. sub Auspiciis glorioſissimis Romani Pontificis Sixti V. Pontificatus illius anno primo, a Pietate & Religione Prædecessores nostri illum laudant. Crassi corporis, brevis staturæ, majoris prudentiæ fuit, qua per quindecim annos moderabatur Collegium nostrum, pace, nec publica nec privata, nec domi nec foris unquam turbata. Igneæ fuit indolis, ac temperamenti cholericæ proin facile commoven- dūs ad iram, eadem tamen facilitate illam rursus depositus. Laudem illius adhuc sonat Campana turris nostræ maxima, qua illam animavit ad convocandum Christianum populum. Sequens in illa legitur inscriptio :

Anno Domini da man zalt 1592. Jahr
 Liesg güssen diſe glocken fürwahr
 Mathias Vbelacker zue Vberling gebohren,
 Zu gottes Lob und dienſt gehörich
 Wolfgang Neidhart in Ulm goſſ mich.

Fusa est hæc campana in honorem B.V. Mariæ, S. Michaelis Archangeli S. Mathiæ Apostoli & S. Augustini. Nec laudem illius tacet æs campanum alterum, Numero quartum, eodem anno fusum in honorem eorundem Sanctorum & S. Monicæ. Inscriptio

Mathias Vbelacker.

Aus hiz und feür bin ich geflossen
 Wolfgang Neidhart in Ulm hat mich goſſen.

Anno 1596. graſſari Ulma cœpit lues epitemica, quæ duravit usque ad banchalia anni 1597. quam tamen Deo miserante feliciter Mathias cum suis evasit. Non sine dolore commemorare hic possum salvo Mathia plures Ulmae per mortem extinctas esse familias ex primariis etiam, quarum laudabilis in FideCatholica constantia illi & solatio & auxilio fuerant, inter quas præcipue erant Prænobiles Leibéri quorum non nulla Epitaphia ævo adhuc nostro conservantur.

Æterno inter foeminas ætatis suæ digna Elogio manet Maria Rauchschnabelia in fastis nostris ob eximiam in fide constantiam, pietatem insignem, ac devotionem prorsus egregiam posteris commendata. Fuit hæc Matrona inter Benefactrices Collegii nostri non postrema, ac in civitate nostra celeberrimi ea ætate hospiti ad Coronam gubernatrix. Hæc ex liberalissimo pietatis affectu anno 1598. non tantum multa nobis beneficia contulit in vita, sed etiam post mortem legavit plurima. Ut suum erga Sacrosanctum Missæ Sacrificium ostenderet affectum; geminum Sacerdotalem vestitum cum omnibus appertinentiis fieri curavit. In honorem Venerabilis Sacramenti Evcharistiae palliolum insigniter ornatum, pretiosis Margaritis, ac auro distinctum obtulit, quo singulis annis in ipso Theophoriæ Festo & per totam Octavam Sanctissimi Corporis Christi Hierotheca ornari solebat, populoque ostendi. Ducentos insuper florenos pro perpetua sui in Sacrificio quotidiano memoria post suum obitum raro tunc inter Ulmenses Exemplo nobis reliquit.

Eodem anno D. Mathaeus Eberlinus nostri Monasterii in temporalibus officiis Scriba, vir honestus cum religiosa sua consanguinea Sabina Eberlina Moniali Clauſtroburana integrum Sacerdotis, ad aram facientis, vestem cum omnibus paramentis, iisque pretiosis pari cum pietatis affectu obtulerunt. Anno 1593. restitutum est sacrum Spiritualis fraternitatis foedus, quod Antecessores nostri cum Augustensibus S. Crucis Canonici olim sanxerunt sed calamitoso hoc Saeculo, refrigescente charitate, si non extinctum, saltē plurimos annos intermissum. Hanc restaurationem urgebant ipsimet Augustenses sequentibus litteris.

Nos Frater Antonius Præpositus, Augustinus Decanus totusque Conventus Cænobii S. Crucis Augustanae, universis & singulis nostræ Confraternitatis Dominis & fratribus, qui aut ipsi hasce litteras legent aut ab aliis legi audient, salutem sempiternam, nec non obsequium fraternum in Domino preciamur atque offerimus. Charitatis officium exposcit, debito Naturæ soluto, animam imagine Dei insignitam ad æternam felicitatem pro viribus promovere. Quapropter juxta nunquam satis dilaudandum fraternitatis nostræ fædus nobis incumbit, ut tam e viris discessas, quam in vita existentes, memoria constanter teneamus. Qua de causa Reverendi Patres, ac venerandi Fratres, vos fraterne rogatos volumus, quin animas charissimorum Fratrum nostrorum in tremendis sacri altaris oblationibus ac devotis vestris orationibus unice commendatos habere minime recusetis: Nomina etiam eorum in album pie defunctorum referre velitis: & quidquid rei divinæ precum, vel beneficii collatum in eos fuerit, id in nos collatum existimabimus, ac vicissim studium operamque nostram in tali officiorum genere tam post quam ante obitum deferimus ac pollicemur. Data e collegio nostro S. Crucis Augustæ quinto Idus Januarii anno 1593.

Ad quas eodem Mense Mathias noster respondit:

Reverendo in Christo Patri ac Domino Antonio Præposito ad S. Crucem Augustæ dignissimo, Augustino Decano, reliisque ejusdem Cænobii Patribus ac Fratribus Mathias Præpositus Canoniæ Wengensis, Jacobus Decanus, totusque Conventus ibidem. Nuper ad nos pervenerunt a vestra Paternitate litteræ, quæ de fraternitatis erga nos Confœderatione denuo restituenda (agitur enim fere nunc, ni fallimur, centesimus annus, quo intermissum fuit tam pium tamque laudabile inter nos demortuorum fratrum suffragium) mentionem fecerunt, Annorum numerum testantur vestrorum Antecessorum litteræ apud nos adhuc retentæ. Has autem litteras V. Pac. F. quanta animi erga vos sinceritate & candore exceperimus, verbis credite, alioqui vix poterimus, cum vestra erga nos benevolentia perpensa animum ad divinum hoc opus exequendum intendimus. Promittimus igitur vobis R. ac V. P. ac F. nos, quoties Patris aut Fratris alicujus Monasterii vestri obitus per litteras nobis constiterit, defunctorum Exequias in tremendis Sacrificiis Mysteriis aliisque secundum Fraternitatis nobiscum initæ tenorem pii orationibus & ritibus peracturos, quod & vos erga nos facturos minime dubitamus. Valete in Domino Reverendi Patres ac Fratres, & Deum in vestris precibus nobis facilem & propitium facere velitis, nos vicissim erimus eadem ratione quam promptissimi. Datum Ulmae ex Cænobia nostro Wengensi anno 1593. Mensa Januario.

Cum Mathias Præpositus erga sanctum Michaelem Archangelum semper devotissimus fuerit; insignem illius statuam sex aut septem pedibus altam ex lapide sculpi curavit, illamque Ecclesiæ intulit, quæ tamen postea in reparacione Ecclesiæ remota fuit ac nunc spectatur supra porticum cellæ nostræ vinariae. Sub hac divi Michaelis Statua, dum adhuc erat in templo sita legebatur olim Reverendissimi Mathiae Epitaphium, qui post quindecim annos pii & religiosi sui Regiminis apoplecticus anno 1600. in Domino obiit. Epitaphium erat sequens:

Epitaphium.

Ludimur heu miseri vanis & inanibus acti
Et fracti curis, ludimur heu miseri!
Ingriditur lachrimans, flens vivit, flensque recedit,
Ex tristi vita funere raptus homo.
Attamen haud prorsus moritur; sed dormit in urna:
Extremum sperans sustinet ille diem.
Tunc iterum claras prodibit vivus in auras,
Et capiet merito præmia quisque suo.
Nunc tibi chare Pater rutilans lux splendeat alto!
Æternum cælo sique valebis, Amen!

§. III.

§. III.

De Joanne Præposito XXVIII.

Joannes cognomine Simonis, hoc nomine tertius, Patria Ulmensis cum Cellarii Officio 21. Decani vero decem annis magna cum laude functus fuisset, Prælaturæ præficitur anno restauratæ Salutis 1600. sedente in Cathedra divi Petri Clemente VIII. anno Pontificatus illius sexto. Ipsummet Originale Elogium optimi hujus Præsulis, ab obedientissimo ejus filio Joanne Vogelio scriptum, huc transference luet. *Vir* fuit, ait laudati Scriptoris calamus, statura procta, ingenio modesto, & demissionis, quoad vixit, unicæ studioso, vultum ex æquo hilari, ac severo, & hoc utrumque decus ita temperavit, ut alterum alteri aspersum fuerit. Non tantum subditi illum veluti parentem, sed & multi alii quasi Patronum & Mecænatem optimum summo prosecuti sunt amore. Illius enim affectus, & amor non solum in suo domi, & quois foris in Athenæo Dilingano magnis semper sumptibus aluit; verum etiam in multos alios etiam liberalissime effulgit. Erga divinum cultum quam sedulus fuerit, excellens illud opus, Orgânū nimirum, quod de novo, plusquam 1000. fl. constans, extrui fecit & multa alia ad eundem rertinentia testantur. Podium juxta Præposituram ultra 1200. florenis: præterea granarium in Berslingen 185. fl. Ad hæc restaurari fecis domum parochialem in Holzkirch 500. fl. similiter & templum in Ballendorff 280. fl. mancipavit denique Monasterio horredium in Lehr, pro quo persolvit 1200. fl. Et ut verbo dicam Remp. Wengensem summo cum labore per decennium Joannes gessit: quo peracto corpus viresque indies diffusre ceptabant, vita tamen molestias ita perferebat, ut & diurniores non abnueret, licet ingenti desiderio ad cælestem patriam ferebatur, ubi cupito Numinis aspectu frueretur. Quare annis jam & morborum laborumque ærumnis exhaustus, cum jam ultimos vitæ dies imminere sentiret, confessione piaculari, ac Christiano epulo reficitur. Tandem anno 1610. 15. die Decembris, qui S. Luciæ sacer erat, hora nona ante meridiana animam Authori, aquo acceperat, feliciter transmisit, relicto Successori suo satis magno vini ac frumenti thesauro. Illius mors multos, ac domesticos præcipue omnes graviter affectit. Funus ipsius deportatum est ad templum, ibique ante aram maximam versus Sacram sepultum, sed & juxtim in pietate ejus effigies cum sequenti Epicedio vernitur.

M n e m o s y n o n

Honoris merito debiti
Amoris debito meriti
Admodum Reverendo Antistiti
Vigilantissimo Cænobiarchæ
Charissimo in Christo Parenti

P. M.

Postulat

Filius infimus.

Heu Reverende Pater virtutum Exemplar apexque
Morum tam subito concidis interitu?
Ergo jaces? ergo te Parca cruenta peremit?
Et Mors & fatum te voluere suum?
Heu! exspiravit! flos ævi elanquit: eheu!
Heu pietatis amor maximus interiit!
Non tam en omnino periit, post funera virtus;
Altior exsurgens, vivit & usque manet.
Nempe a terribili fato sublatus ad astra est,
Illis nemo potest hac sine morte frui,
Ergo vale nitido Præsul dignissime caelo!
Wengensis cætus lux vale & usque vale?

Tom. V Cann. Regg. Orig. Pars altera.

R r r r r

Mer-

Meritissimi hujus Praefulsi laudibus hic addendum quod ille denuo in Collegio nostro scholas aperuerit tum exterorum, tum civium Ulmenium Catholicorum filii; occasionem inde nactus, illos tam in litteris, quam in pietate ac Catholicæ fidei principiis melius & opportunius, instruendi. Contradictiones non modicas Propterea anno 1608. percessus, generoso tamen animo illis processit obviam, parvulumque semper aluit Seminarium Juventutis litterariæ, quod usque ad moderna non sine flore perduravit tempora.

Cælestem Benedictionem piissimus Praeful, quod satis quidem ex jam dictis patet, abundanter expertus est, præsertim anno Regiminis sui septimo, anno scilicet 1607. Benefactricem enim manum aperuit, ac in conservatæ semper intermeratae fidei argumentum perpetuum Anniversarium fundavit probatissimæ honestatis Matrona Margarita Reiserin, spectabilis quondam viri Jacobi Wegelini hospitis ad signum Coronæ, uxor, ac laudatæ jam supra Mariæ Rauschnabeliæ Soror. Hæc antequam prænominato anno iter æternitatis fuit ingressa, Collegio nostro legavit sequentia:

1. Capsulam totam auream,
2. Thecam Capsulæ argenteam inauratam,
3. Calicem argenteum inauratum cum patena & cochleari pariter argenteo & deaurato quorum omnium illa ætate valor erat 300. fl.
4. Addidit in pecunia parata florenos ducentos. Anniversarium fundatum est pro salute animæ tam propriæ, quam Parentum, Sororum, Affinium, Consanguineorumque omnium.

Anno 1609. Confœderationem spiritualem jam ante centum annos, cum celeberrima Canonia S. Georgii Augustæ videlicorum sub Laurentio ejusdem Praeposito initam, tot autem inter calamitates, & variatae Religionis miseras fere oblivioni datam renovavit consentiente San-Georgiano Praefule Urbano totoque Capitulo, qui renovationis litteris subscripsere anno citato, 15. Calend. Aprilis. Quædam singulares circumstantiæ faciunt, ut hasce litteras huc transferam, de quibus postea:

Salutem & felicitatem cum devotis nostris ad Deum optimum Maximum fusis precibus perpetuam.

Miremini forsan, admodum Reverendi Venerabiles, Religiosique in Christo nobis dilecti Patres, Fratres, cum ad vestras, jam pridem ad nos datas litteras, & a vobis admoniti non rescripserimus. At apud rei causam & eventum intelligentes haud dubie Indulgentiæ locus erit. Mortalium conditionem apud se quisque pendens dubio procul nullam aliam deprehendet, puam nasci, vivere, mori, quam maxime Deo dicati Religiosi (de cæteris enim fileo) considerantes Fraternitas, quibus se multis orationibus vivi & mortui juvarent, construxere perpetuo daturas. Cum vero ea, quæ anno 1509. litteris expressis inter nos contrafacta fuit Fraternitas, aut propter ingravescentes hæreses, aut aliam quamcumque causam intercepta fuerit, ac propermodum sepulta: eam consueto R. P. ac F. Conradus Buckh apud nos divertens (modo aliquam exhibitam sibi humanitatem expertus esset) ac nobiscum ea dere paterne ac fraterne differens ad pristinum emanantis fluvii fontem restaurandam curavit. Contristantes ergo mutuo Confœderationis vinculo obstricti vestræ dilectioni significamus, non solum illos Fratres nostros, quos abhinc 85. annis pie & religiose in Christo obiisse novimus, pro quibus officia funeralia generatim vos persoluturos speramus, sicuti & nos statim acceptis litteris præstitimus: Verum etiam (quæ fuit nostræ maxima causa dilationis litteriarie) charissimum nobis in Christo dilectum fratrem Joannem Majer Sacerdotem, multis mensibus laborantem, multis squaloribus & doloribus pene confectum, Sacro sanctis Sacramentis aliquotiens perceptis septimo Idus Martii extrellum vitæ suæ clausisse diem: eundemque Martyrologio (Necrologio) vestro quo quot annis enunciandum, ac solitas preces cum cæteris pro eo solvendas, sicuti apud nos moris est, Exequiis pro nostra inter nos inita Confraternitate exequi curabit, quod a vobis fieri pie simul & fraterne haud dubie a Deo optimo maximo mercedem amplissimam & sempiternam reportaturis, non ambigimus. Nos vicissim quod nostri erit officii & pietatis sicuti a vobis requisiti fuerimus, præstabimus diligenter & ex animo perlibenter. Ex Monasterio nostro Georgiano Augustano 15. Kalend. Aprilis. 1609.

URBANUS PRÆPOSITUS.
F.F. { Leonardus Decanus.
totusque Conventus ibidem,
Memo-

Memoria Conradi Buckhi, qui renovati Fœderis Promotor erat, apud Posteros semper in Benedictione fuit. Steinberga-Suevus erat, ac anno 1587. terrenis deliciis valedixit, ac per tria votorum vincula se Deo in Collegio Wengensi mancipavit ætatis suæ anno decimo octavo. In Sacerdotem ordinatus anno 1595. Singularis ejusdem pietas & devotio, & virtutum Religiosarum cæterarum splendor nunquam oblivioni dari potuit. Per aliquot annos Decani Officio cum laude functus animam suam Creatori reddidit anno 1635. ætatis suæ sexagesimo sexto 12. Septembris. Traditio Seniorum nostrorum usque ad mea tempora transit Conradi Buckhi animam post mortem aliquamdiu ex justo Dei Judicio detentam fuisse in Purgatoriis carcere, sed brevi piissimæ cujusdam Monialis Söflingenensis precibus ab hisce pœnis liberatam. Quæ si vera sunt, cælum abunde compensavit piam illius sollicitudinem, ac sollicitam pietatem, qua supra in favorem Piorum Manium Confederationis olim initæ suffragia tum domi, tum foris adhuc in vita constitutus urgebat.

PERIODUS III.

C A P U T IV.

Georgius Boner Præpositus XXIX. Jacobus Præpositus XXX.

§. I.

Georgii Patria, Studia, Electio.

Magnum Joannem Simonium Magnus sequitur Filius, quem speciali amore dilexerat Georgius Boner, quem sibi olim præfuisse semper lætabuntur Insulæ. Hic primo vitales in auras natus est felici sydere in archiduci Oppido Waldensesi ex Parentibus per honestis, cuius animam insignibus naturæ dotibus exornavit Deus. A prima pueritia honeste educatus cœream ad virtutem Indolem prodidit, ac mundana hæc omnia despexit. Anno ætatis suæ decimo octavo, Christi vero 1581. per solennem Professionem ad Canonicum Wengensem suscepimus, magnam statim spem duxorum suorum animis accendit, fore, ut aliquando ad utilitatem ac honorem hæc planta excresceret. Nec spes hæc fetellit; missus enim ad Universitatis Dilinganae studia mox inter cæteros suos Condiscipulos eminuit sub disciplina Sociorum Jesu, qui nihil prætermisere laboris, quo optimam hanc terram ad ferendos optatos fructus excoherent. Per integrum septennium inter Dilinganas nebulas ceu stella matutina emicuit ac scientiarum suarum radiis omnium oculos perstrinxit. In addiscenda lingua tam latina, quam græca nulli secundus, it amænioribus litteris paucos sibi similes, imo etiam in Philosophicis & Theologicis sibi parem non habuisse legitur. Domum revocatus verus obedientiæ filius gaudens ac plaudens duram instruendæ juventutis spartam in se suscepit, ac primis studiorum Elementis per aliquot annos egregius scholæ Magister commissam sibi pueritiam imbuit. Paulo post ad cellaris, ac demum ad Decani quoque officium est promotus, quibus in officiis ita se gessit, ut palam Poedagogus Christianus, Dispensator fidelis, & lucerna ardens appellare meruerit. Tandem etiam Joanne Præposito pie defuncto sub Pontificatu Pauli quinti Romani Pontificis anno 1610. in XXIX. Canonia nostræ Præpositum canonice est electus anno ætatis suæ 47. ut gemma annulo, sic Georgius Prælaturæ summo ornamento fuit. Intra viginti quinque Regiminis sui annos tantam in rebus administrandis ostendit prudentiam, tantam in Oeconomio providentiam, ut nulli ex Prædecessoribus suis reliquerit palmarum. Curiam Wengensem, vulgariter den Wengen Hoff cum tota area, horreis, aliisque ædificiis adpertinentibus anno 1617. pro mille & septingentis florenis emit. proque reparatione illius adhuc septingentos florenos utilissime impendit. Anno 1621. domum nobilem, cum insigni prædio adjunctis aliis tribus prædiolis pro 4200. florenis comparavit & Monasterio nostro cum omnibus jurisdictionis basiæ, seu inferioris Juribus incorporavit. Aliquot florenorum Millia pro annuo censu elocavit. Cæterum hunc Præpositum non tan-

R r r r r 2

tum

tum augendæ pecuniæ & Monasterii amplificandi, sed etiam cultus Divini eximie fuisse studiosum ex hoc liquet, quod Ecclesiam nostram picturis & Altaribus magno sumptu exornarit, & pro renovatione ejusdem, fornicisque exædificandæ anno 1629. plus quam septem millia florenorum expenderit. Hanç relationem domesticus calamus hinc Versiculis claudit:

Multa tulit, fecitque Pater, sudavit & alsit,

Felix, infelix, plurima sustinuit.

Lex antiqua monet, miseri adversa secundis:

Constans in terris hinc ait esse nihil.

Enimvero felix ac infelix fuit, ac plurima adversa sustinuit. Etsi enim omnia ageret, quæ ab ipso boni Pastoris exposceret officium; calamitatem tamen non levem expertus est a propriis filiis, qui iniquissimis odiis amantissimum Patrem persecuti sunt. Tentata proin fuit, sed contra juris ordinem, Monasterii visitatio, quæ tamen ab ipsomet Ulmensi Magistratu tanquam juribus & civitatis, & Collegii adversa non fuit admissa: quæ res postmodum in pretiosissimum multorum annorum Processum excrevit. Sed & alia tentata fuere pro reconciliandis animis remedia. Posteriora tamen deteriora facta sunt prioribus. Triumphavit nichilominus innocentia & integritas præstantissimi Præsulis, tametsi triumphus hic uberrimus illi constituerit lachrimis.

§. II.

Experitur mala Belli Suecici.

Praenarrata calamitati successit longe major belli Suecici. Superfluum foret prolixiori hic calamo Lectores meos instruere, in quantas angustias tempore Belli Suecici res Catholicorum (præsertim Ecclesiasticarum Personarum possessio-nes, Monasteriorum fundi, ac Ecclesiarum proventus) sint redactæ. Quis enim vel solo auditio hujus Belli nomine, non illico omnium malorum, misericordiarum ac calamitatum cumulum in animo sibi fingit, quibus Germaniaæ nostræ peccata justissimus ultus est Deus. Huic bello, inquit Chemnizius de Bello Suecico, nec diu-nitatem temporis, quo duravit, nec, quibus gestum, Consiliorum acumine, armorum atrocitate, vehementia animorum, varia fortunæ vicissitudine, bella ulla nostræ aut Superioris ætatis facile comparanda sunt. Solum ea hic tango, quæ propius ad Collegium nostrum spectare censeo. Citato Chemnizio teste L. 4. de B. S. Ulma Protectioni Regis Suecæ, fatali necessitate compulsa, sese subjecerat anno 1632. Mense Februario, cui Rex respondit: Sitos in urbe aut ejus Territorio Teutonici Ordinis, aut aliorum Pontificorum Ecclesiasticos fundo, eorumve Proventus aliorum minime alienatum, sed ad sustentandum Præsidium, civitati administrando, & utendos & fruendos relictum iri: Cleri quoque Pontificii immobilia & aliorum, huic Religioni deditorum, Satrapias, quotquot civicæ iurisdictionis Cancellis circumscribuntur, quantum temporis, ac rerum conditio fetret, civitati tributaria, Territorii vero Ulmensis Incolas & Clientes Reipublicæ eorumve familiares ac bona, ab omnibus Diribitoris, Statoris, Hospitiis Militum, nisi necessitas diversum postularet, immunes fore. Quod vero civitas & civici elapsis retro annis per hospitia militaria uno protelo continuata, perque contribu-tiones varias & acerrimas exactiones, ingentem fortunarum jacturam se passos, & ære alieno adeo immersos, ut emergere vix licet, juste & cum veritate con quererentur; ideo luculentæ remunerationis ad resarcendum quadrantenus damnum, spes a Rege ipsis facta. Quis tunc Georgio nostro sub hoc malorum cumulo gementi fuerat animus? nisi virum se præbuisset succubuisse & omnino domi forisque tristissimis identidem Nuntiis territus. Non solum Subditorum suorum totalem interi-tum, ob crebras & inauditas militum insolentias, expilationes, & deprædationes formidabat, sed & certum Monasterii sui occasum quasi præsigare sibi poterat, nisi mens illi fuisset hisce miseriis altior. Singulis mensibus ex Monasterii ærario aut intolera-bilem (respectu reddituum nostrum) Summam solvere, aut integrum militum Sue-corum cohortem sustentare coactus fuit. Solvit in parata pecunia 2572. florenos.

Sena-

Senatui Ulmensi argentea Collegii vasa, omni alio peculio exutus, cessit; quæ tamen exactiones anno 1635. Mense Julio Ulmenibus denuo Imperatori reconciliatis cessarunt. In Deo in Cælitibus, præprimis in Beatissima Deiparente Protectrice Collegii nostri, atque Archangeli S. Michaelis Patroni nostri potentissimi Patrocinio semper omnem spem & fiduciam suam posuit. Heu! interitum calamitoto hoc tempore quot, quantaque spectarunt Monasteria! quot Cœnobia fuere aut expilata aut funditus eversa! quot Ecclesiæ & religiosæ habitationes bellicis Aquilonaris Martis furoribus absumptæ & solo æquatæ aut in cineres redactæ! certe Dexteræ Dei Excelsi opus fuit, quod Georgius emerserit ex his fluctibus, licet instar naufragi & cum bonorum plurium jactura. Præter laudes, quas innumeræ persolvit Deo, etiam decentissimas semper habuit Inclito civitatis hujus Magistratui gratias, quod potenti sua Protectione & se, & suos, veluti cives ceteros iniquissimis hisce temporibus ac tot inter calamitatum miseras conservaverit.

Georgium præter Deum in Cælitibus magnam suam collocasse fiduciam supra memoravimus. Jam ad Suecici belli his in partibus initia anno 1630. in die sancti Bartholomæi quatuor in Ecclesia nostra erexit Altaria primum in honorem Beatissimæ Mariæ & Immaculatæ semper Virginis honorem. Secundum in honorem S. Conradi, Elogii Episcopi, Caroli Borromæi &c. Tertium in honorem S. Augustini & sanctæ Monicæ Matris &c. Quartum in honorem S. Georgii Martyris. S. Rochi, Sanctorum Cosmæ & Damiani & omnium sanctorum Martyrum. Hæc Altaria eodem anno consecravit Reverendissimus Antonius Tritt Episcopus Tiberiadis &c. Qui posteritati sequentem pro Testimonio reliquit schedulam.

Nos ANTONIUS TRITT Episcopus Tiberiadis Suffraganeus, Canonicus & Custos Cathedrales Ecclesiæ Constantiensis sub Regimine Admodum Reverendi Domini Georgii Præpositi Monasterii Wengen Ordinis S. Augustini Clericorum Regularium consecravimus quatuor Altaria in Ecclesia prædicta extra Chorum. Primum videlicet in Cornu Evangelii in honorem Beatissimæ & Immaculatæ semper Virginis Mariæ, Beatae Mariæ Magdalena, Claræ & Theresiæ, ac omnium SS. Virginum & Viduarum. Includuntur in id Reliquiæ de S. Anna, S. Columbano, Beato Rustico, & aliis Sanctis.

Secundum in Cornu Evangelii infra suggestum positum initiaimus in honorem S. Conradi, Elogii Episcopi, Caroli Borromæi, S. Francisci, SS. IV. Ecclesiæ Doctorum, & omnium Pontificum ac Confessorum, impenentes in id Reliquias de S. Panthaleone Martyre & Apollonia Virgine & Martyre, S. Bartholomæo Apostolo & aliis Sanctis.

Tertium vero Altare, quod primum est in Cornu Epistolæ extra Chorum prædictum, dedicavimus S. Augustino Ordinis Patrono, ac Institutori, ac Matri eius S. Monicæ, S. Alipio & S. Vito, & omnibus SS. Ordinis præfati S. Augustini, recondentes in id SS. Reliquias videlicet S. Antonini, Paulini Episcopi, Felicis Martyris, & aliorum Sanctorum &c.

Quartum Altare, quod est a Cornu Epistolæ infra supra scriptum positum consecravimus in honorem S. Georgii Martyris S. Rochi SS. Cosmæ & Damiani & omnium SS. Martyrum.

Abscondentes in id Reliquias S. Nicolai Episcopi, SS. Dionysii, Rustici & Eleutherii Martyris ac aliorum Sanctorum, quorum Nomina Deus novit. Concessimus & hodie omnibus Christi fidelibus annum unum & in die Anniversariæ Consecrationis hujusmodi prædicta Altaria devote visitantibus 40. dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta. In quorum omnium pleniorum fidem has litteras propria manu subscripsimus, & Sigillo nostro consueto roboravimus, quæ date sunt in Monasterio bene memorato ad Insulas Wengen Ulmae in ipso Festo S. Bartholomæi Apostoli anno MDCXXX. In ista Dedicatione interfuerunt Conventuales hujus Monasterii

Rdus D. Conradus Buckius Decanus.

Rdus Dominus Augustinus Haslachius Senior.

Rus. Dominus Michael Happicher.

Rus Dominus Jacobus Sonthag.

Rus Dominus Michael Menter Cellarius.

Rus Dominus Georgius Pfaff Præceptor.

F. Casparus Geiger.

F. Jacobus Mick.

F. Georgius Hummel Professi.

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

S s s s s

Ob

Ob' ercta hæc principaliter in Dei, tum vero in honorem Sanctorum quatuor Altaria Georgium Præfulem inutilem in illorum precibus collocasse fiduciam, quis dicet nisi a veris Fidei dogmatibus prorsus alienus? firmiter mihi persuasum est, plurimum auxillii ac protectionis a sanctis Tutelaribus, præsertim illis, quorum honori ercta erant Memoriae, aut quorum Reliquiae in sacris Altariis Sepulchris fuerant reconditæ, trifiliis hisce temporibus in nos permanasse. Haud dubie Wengensem Sion circumvallarunt, custodierunt, munierunt, & firmarunt, precibus suis, quas tanquam servorum suorum exaudiuit Deus, qui etiam urbem protexerat olim propter David servum suum.

Quæres forsan quo loco fuerit, & quibus fatis exposita in hac malorum Iliade Catholica Religio inter Ulmenses? dum *Atha Religionis* lego fatis admirari haud possum Præfulis Georgii moderationem. Etsi varius impetus ac succussionses hac ætate (quod primum est non concere tantum, sed & credere) sustinere debuerit liberum Religionis Exercitium, tempori tamen ita serviit, ne Deum offenderet, ita conciliari sibi homines novit, ne cælitum odium incureret, salva semper Fidei Catholicae substantia.

§. III.

Grassante Peste omnes Religiosos Canonicos amittunt uno solo accepto. Illius Mors & Epitaphium.

Adeo peccatis nostris irascitur Deus, ut justi furoris sui sagittis bellico sanguine ineptiatis pestis quoque latissime per Germaniam sævientis flagellum inneteret, tergum quoque suum Ultima nostra subtrahere haud potuit. Quibus Mars pepercit, Morti cessere in pabulum, quæ Anno 1635. immaniter totam depastæ est viciniam. In ipsa porro civitate stragem non parvam singulis mensibus edidit; quam quidem Reverendissimus Præfus noster fortiter devicit, de cætero suos Filios (O! adoranda Dei Judicia!) ad unum omnes amavit, sed ad cælum providus præmisit Pater, quos eodem adhuc anno ætatis suæ 73. sexto Kalendas Decembri naturali morbo corruptus, secutus est in cælum, unicum ex Religiosis suis Filiis relinquens Dominum Jacobum Mickium Monasterii professum, ac nuper in Sacerdotio initiatum, cui, sibi in Præpositura postmodum succedenti, magnam frumenti copiam & majorem pecunia Summam reliquit. Sepultus est in medio Chori ad Prædecessores suos cum sequenti Epitaphio, tabulæ, quæ Crucifixionem Christi eleganti Pictoris penicillo adumbratam refert, ab ipsomet adhuc in vivis agente Georgio procuratae inscripto, ac primum Anno 1653.a Reverendissimo Domino Michaeli postea Successore posito.

Epitaphium.

Salve, siste Viator! adest quis, forte requiris?
Quis? labor hic opus hoc explicuisse Virum,
Dextri Phidiacum lateris circumspice saxum
Vir tabulam præfert, fert tabula ecce virum.
Walsensis Patria hic, Bonerus stirpe & Homerus
Est graio, Latio, Tullius eloquio.
Lustris quinque fuit Pastor bonus arte regendi,
Et bona restituit plurima Cœnobio.
Cœlicolas votis, flexit pietate tonantem:
Odœcum hoc aris, fornise percoluit.
Hic fuit Antistes, Fratrumque locique supremus;
Nunc caput Ecclesiæ cogitur esse pedes.

Omni

Omni prole Patrem Libitina privavit acerba,
 Vitæ quot socios, tot tulit ipse neces.
 Præmisit Superis Fratres, quos inde secutus;
 Unum deseruit nomine Præpositum.
 Septuaginta hyemes vicit, dein terna necavit;
 Viætus jam Viator læta trophæa tenet.
 Æthereo in cætu fulget, vieturus in annos
 Æternos vitæ & præmia mortis habet.
 •Vglt fata seneX, fregIt taMen atropos allræ
 FILA : senI Dones ergo saLVtIs aVe.

Inscriptio alia Ecclesiæ.

Ante Renovationem.

•VLcher In ætherea antlites Boner arCe nteblt
 per CVIVs IVssa hæC teMpLa saCrata ntent.

Ad posterorum notitiam referre hic volui, quod sub laudato Præsule anno 1613. contigit.

Serenissimus Bavariæ Dux & S. R. I. Elector Guilielmus anno 1613. delatus erat Ulmam, ac pro avito pietatis suæ ac Religionis affectu in Ecclesiam nostram veniens adorato Numine Eucharistico conspectam Summi Altaris tabulam cum satis demirari non potuit. Monachium reversus tanto in absentem picturam exarsit desiderio, ut datis hoc ipso anno ad Georgium Præpositum litteris illam sibi pro justo pretio Monachium mittendam exposceret. Consensit equidem in vota Clementissimi Principis; verum monuit simul, totam illam ligno minime autem telæ linea artificis pernicillo impressam esse, magnumque fractionis subesse periculum, si tantæ latitudinis tabula Ulma tanto viarum spatio ad Electoralem urbem esset transferenda. Hisce auditis per novas litteras Serenissimus Elector a petitione sua desistit. Pictura hæc refert Christum e Cruce depositum amare illum defentibus Beatisima Virgine aliisque sanctis Mulieribus, divo Joanne Evangelista & Nicodemo in pares lachrymas, masculo tamen affectu ex genio artificis prorumpentibus. Pinxit hanc tabulam Martinus Schoen de Kalenbach (vulgo der schen Martin appellatus) Colmariensis excellentissimus suo ævo Pictor. Extat hæc tabula ad hodiernum usque diem in Collegio nostro, a omnibus, qui in arte pictoria ultra calceum Sutoris sapiunt, admirationi est.

§. IV.

De Jacobo Præposito XXX.

Jacobus Mickius Neoburgæ ad Kamlach fluvium in Suevia ortus solus & unicus tempore suis contagiosa superstes, a duobus Dominis Canonicis in subsidium rogatis Mathia Bildsteio scilicet, Creuzlingensi & Augustino Heilig Wettenhusano in Præpositum assumptus est pro confirmatione a Reverendissimo Domino Vicario generali & Reverendissimo Domino Abate in Creuzlingen inter has bellicas turbas ad sacram Nunciaturam missus est. Quisquis animo exulcerata tempora volverit, quibus Præposituram Jacobus adiit, mirari definet extraordinarium assumptionis modum. Quantum autem sub hoc Dignitatis onere sudaverit, quæ persessus critica illa ætate, hic recensere opus non est. Quoties illius fata fese menti meæ ingerunt, evidenti documento mihi sunt, in rebus desperatissimis non desperandum mediis in fluctibus, adhuc superesse salvandæ vitæ tabulam, nec Consilium esse contra Dominum. Heu! quam miseranda tunc fuerat Religionis facies! quantas in angustias redactus pusillus Catholicorum gressus! quibus fluctibus ac proceliis pulsabatur nostra Insula! ob Canonicorum defectum suspensa erant Organa: Cantantium conticuit Chorus: in copiosa messe Operarii pauci, iisque aliis ex Monasteriis rogatu supplici petendi in subsidium.

ssss 2

Ma-

Mathiam Bildstein, ut supra vidimus, submisit nobis in auxilium Cretzlingen-se, Wettenuhanum vero Collegium Augustinum Heilus vel Heilius, viros prorsus egregios, qui verbo & Exemplo profuere. Horum posterior patria Scherensis erat, e superiori Suevia natus, regularem Professionem in Canonia Imperiali Wettenuhanu emisit Anno 1607. die undecimo Augusti, Sacetdotii honores accepit Anno 1612. per plures annos durante Bello Suecico administravit Parochias in Heselhurst & Wattewieiler. Ex Insulis nostris ob præstita nobis obsequia meritorum plenus domum reversus est mitigato demum rigore temporum. Pastor animarum indefessus Anno 1658. ad finem Martii decem mensibus Vicarius Ichenuhanæ Paroetiae præfuit, anno autem proxime in sequenti Kalendis Februarii in æde Parochiali vitam terrestrem exxit, cujus exanime corpus eodem adhuc die Wettenuhanum honorifice reverctum, tumulum accepit in ambitu anno 1659. die primo vel secundo Februarii.

Anno 1635. Canonia Waldseensis labores nostros egregie sublevavit per vi-
rum omnibus numeris absolutum Melchiorem Widenmann, qui religiosa conver-
satione & discreto Religionis zelo in vinea Domini multum laboravit. Hos labo-
res liberaliter compensavit Deus. Postquam enim crescente paulatim Canonico-
rum nostrorum numero ad gremium suum rediisset, anno 1652. unanimi eligenti-
um calculo ad Mytram, pedumque fuit electus, præfuitque 28. annis *insignissime* quod
encyclæ testantur litteræ) cum laude diem extremum placidissime obiit 1680. 24.
*Maij æterna requie potitus, quam etiam debitæ gratitudinis ergo eidem impre-
camur.*

Anno 1636. ex laudata Waldseensi Canonia pro spirituali nostro præsidio no-
vum Jacobus obtinuit militem subsidiarium, virum pariter re & nomine religiosum
R. D. Conradum Eisenbach. Post præstitas nobis in curandis animabus vigilias re-
vocatus domum, in ducem claustralim militiæ Decanum scilicet, constitutus, mu-
nus suum strenue obivit, post aliquot annos tamen illud depositus ac Missionarium
Castrensem, Parochum in Reutte, indutus pie obiit anno 1652. quo etiam ob
præstitatam nobis laudabilem operam æternum stipendum eidem numeravit Deus.

Anno mox in sequenti 1637. imploravit denuo Canonicorum nostrorum Wald-
seensium charitatem Jacobus, & pro sublevandis quadragesimæ laboribus novum
Cooperatorem expetiit. Exaudite sunt preces & sub verni jejunii initium adven-
tu suo Insulas recreavit hujus Canoniæ professus, R. D. Nicolaus Walser, qui
tamen mox circa Festum Pentecostes debitum, ut oportet, actis gratis fuit remis-
sus domum; minus enim ipi conveniebat locus, & nostra vivendi ratio. Graffante
peste in Catalaunia (ibi enim pro tempore Klenhansiorum legioni sacrissimis operab-
atur) pie omnibus Sacramentis munitus obiit anno 1652. Celeberrimum Ordinis
S. Benedicti Wiblingense Coenobium, pro sua qua semper in Collegium nostrum
ferebatur benevolentissima amicitia e gremio suo ad instantiam Jacobi nobis submi-
sit anno 1637. in mense Iunio R. P. Georgium Beck, virum doctum, & amaniori-
bus litteris probe excultum, qui scholam nostram Wengensem a mense Junio us-
que ad Ferias Christi Natalitias sedulo moderabatur, in quibus tamen incurabili
morbo Musis dolentibus corruptus fuit, adeoque pertinaci malo afflatus, ut anno
1651. Mense Octobris animam suam ex hac miseriaturum Valle cælo transmiserit,
æternam Patientiæ suæ mercedem capturas. Fuit Georgius iste Germanus Reve-
rendissimi nostri Michaelis, de quo postea.

Post celeberrimum Divi Benedicti Ordinem etiam in calamitosis hisce circum-
stantiis optime de nostro Collegio meritus est Inclytus Ordo Præmonstratensis.
Erepto enim nobis post fatalem morbum R. P. Georgio fortè nostram miserata est
Imperialis Canonia Rothensis, quæ nobis cum gratioſa Reverendissimi Abbatis
Conradi licentia anno 1638. mense Junio decentissime rogata, ad tempus conce-
dit R. D. Modestum N. virum religiosissimum, qui per medium circiter annum apud
nos permansit, & prima litterarum ac fidei Catholicæ Clementia juventutem
scholasticam intra Domesticos nostros parietes docuit magna cum laude elapsis fere
sex mensibus ad suos missus, cujus beneficii nobis præstiti nunquam apud Posteros
interibit memoria.

Atque haec sunt, quæ in rebus afflictissimis Præpositus noster obtinuit inter-
ris Deo favente subsidia. At nunc ad columnas, quas suffulciendæ domui nostra
jam ad lapsum inclinatae, admovit Divina Providentia. Anno 1636. egregii juve-
nis naturæ & gratia dotibus instructissimi anime nauseam Sæculi inspiravit cælum
atque ut ejus pompis renunciaret, fortibus stimulis impulit. Georgius Fæderle
illi nomen erat, Dinckelspilæ ex honestis Parentibus genito. Supplicavit itaque

Jaco-

Jacobo, desertissimo atque si miserrimum Collegii sui statum, si conditionem loci ac situs considerare velimus, opis humanæ ac divinæ indigentissimo Præsuli pro admissione ad Religionem Canonico-Augustinianam. Probata juvenis in sacro hoc desiderio constantia, perpensisque ingenuis ejusdem animi corporisque dotibus annuit Jacobus, sacrisque indutum vestibus per annum integrum a sacris Canonibus constitutum, probavit, aurumne esset an plumbum? aurum reperit, ac anno 1637. decimo sexto Julii ad Professionem trium religiosorum Votorum cum gudio admisit. Columnam domus nostræ appellavi, nec pñnitet. Nunc ad alteram.

Hoc ipso anno ac die ad tyrocinium Religiosum a Jacobo admissus est Michael Beck ex oppido Suevico Achstetten appellato, juvenis ingenio & acclimato præditus, Musarum ocellus, virtutum Alumnus, homo Collegio nostro a cælo missus. Anno sequenti triplici votorum vinculo Deo, ac Collegio nostro colligatus est plaudentibus Angelis, Roma triumphante, fremente Orco, Wenga exultante. Et quid ultradicam? quo viro gloriari poterit tota nostra Posteritas, nisi fronti suæ inscriptam pati velit summae ingratitudinis notam. Gloriam ac laudi fuit Philippo Macedoni filium habuisse Alexandrum. Pat in Jacobum nostrum gloria & laus redundat, quod geminos hosce viros Georgium & Michaelem Collegio & Religioni nostræ genererit.

§. V.

Resignat Præposituram Jacobus, ac Munzingæ animarum curionem agit usque ad mortem.

Sub Regimine Jacobi incepimus celebrare Festa propria Sanctorum nostri Ordinis anno 1648. quo anno Illustrissimus ac generosissimus Dominus Casparus Bernardus de Hohen Rechberg & Roten Lewen pretiosissimam ex auro textam Ecclesiæ nostræ dono obtulit calulam, in multisque aliis Benefactorem eximium fæcile Collegio nostro exhibuit.

Officina ferraria a Jacobo cum omnibus suis ad pertinendi solo horto excepto Senatui Ulmensi cessit pro triginta aureis (30. Gold Gulden) annuatim de vendigali vinario subtrahendis. Sub illo pariter super jura quædam Cænobii inter ipsum & Senatum Ulmensem amicabilis facta est compositio anno scilicet 1652. in re economica eti satis infelix fuerit, sacra tamen supellex augeri cepit, dum nimirum sanctæ Ursulae & duorum sanctorum Principum Apostolorum Petri & Pauli argenteæ Statuæ cum aliis tabulis ex eodem metallo confectis Sacristiæ nostræ accesserunt. Fuit Cultus Divini eximus amator, & promotor sedulus, sub ipso item regularis disciplina magis vigere, & horarum Canonicarum melior Ordo incipit. Aedificia plura animo concepit, sed opere non complevit. Solam domunculanam in horto Conventus supra fontem exstruxit, quæ 500. florenis constabat. Post octodecim Regiminis sui annos viribus admodum fractus, quieti inhians, Præposituræ suæ jus sponte ac libere in manus Conventus depositus anno 1653. paulo post in Brisgoiam profectus ibidem Adinodum Reverendo Domino Antonio Opfer Venerabilis Capituli Brisacensis Decano, & Parochio Munzingensi amico & Fauto-ri Monasterii maximo instar Capelani in cura animarum inserviit. Post cessa Prælaturæ jura & antequam Ulma discederet illi sequentes Patentes litteræ date sunt, virtuti quidem illius gratæ, circumstantiis autem temporis, non vero ejusdem meritis commensuratae.

Nos Michael Dei gratia Ulmæ in superiore Suevia ad divum Archangelum Diæcesis Constantienlis, Metropolitanæ Moguntinæ, Canonicorum Regularium S. Augustini Præpositus, Georgius Decanus, totusque Conventus ibidem omnibus & singulis patentibus hasce inspecturis salutem:

Quemadmodum Nauta ante omnia, quem petat portum, sibi statuit, Viator terminum, quo tendat; ita etiam nihil magis necessarium est in via, & vita mortalitatis nostræ, quam finem navigationis, atque hujus peregrinationis nostræ quam penitissime considerare, ut hoc pacto cætera omnia quæ in vita agenda sunt, eo dirigantur. Hoc ipsum Reverendissimus & amplissimus DD. Jacobus Præposi-

tus toto fere sui Regiminis cursu saepius animo volvit, ac revolvit, se nimis sub tanto dignitatis apice difficiles ac laboriosas ambulare vias: Ne ergo, cum vocatus sit ad magnos honores in cœlesti Hierosolyma de statuto capessendos, errabundus & ludibundus longe a Jerusalem in Jericho proficeretur; communicato cum Fratribus suis consilio, sponte libere, ac canonice Præposituram suam in manus Conventus sui die 30. Junii anni 1653. resignavit. Quam quidem liberam & spontaneam Resignationem, nos quoque, singularibus ut poterantibus adduicti, acceptavimus, ac ratam habuimus; ita quidem, ut quocumque locorum, ac gentium præfatus Reverendissimus D. Præpositus Jacobus sese conferre, ac domicilium figere statuerit, liceat, & membrum nihilominus Monasterii, ac Confrater noster (modo statui suo convenienter ac religiose vixerit) continuo permaneat. E contra quandcumque ratio, vel necessitas exegerit, ut ad gremium suum a nobis revocari contigerit, ad nos incunctanter redire & ut alii Confratres in Conventu tanquam Senior religiosa sub obedientia vivere teneatur. In quorum maiorem fidem præsentes consuetis Prælaturæ ac Conventus nostri Sigillis communivimus. Actum Ulmæ in præfato Monasterio nostro S. Michaelis Archangeli, vulgo ad Insulas Wengen. Kalendis Septembbris styli veteris Anno 1653.

(L.S.)

(L.S.)

Hisœ ut diximus litteris Jacobus Deo comite, ne duplex Præpositus Collegio nostro oneri esset, profectus est Munzingam in Brisgoia sitam, ad veterem amicum suum Reverendum Dominum Antonium Opfer Munzingensis Parochiæ Rectorem, ac venerabilis Brisacensis Capituli Decanum a multis annis. Erbacensem enim & Hitesheimensem curionem prius egerat sibi notum, ac sincera familiaritate addicatum. Ab hoc benigne receptus, ac in contubernium admissus tanta cum ædificatione populi ac humilitate vicaria potestate pastorales curas in se suscepit, ut omnium vota impleverit. Minimi instar cooperatoris per integrum fere sexennium servivit ea fidelitate, ac vigilantia, qua vix maiore obsequia sua quondam impendit Labano Jacob. Interim cum totus esset pascendis Christi ovibus intentus, caulae suæ antiquæ minime oblitus, varios eidem Patronos, qui magna liberalitate nobis benefecerunt, conciliavit, arque hos inter præprimis venerabilem hunc Decanum adeo præstitis servitiis devinxit, ut omnium bonorum immobilium nos hæredes scriperit. Tandem anno 1659. septimo Martii ætatis suæ 48. Pleuritide correptus piissime in Domino obiit, ac ad cœlestia Pascua abiit Munzingæ apud alios fideliter defunctos tumulatus.



PERIODUS III.

CAPUT VI.

Michael II. Præpositus XXXI. Abbas Infulatus primus
Joannes Præpositus XXXII. Abbas Infulatus secundus.

§. I.

Michaelis studia, ac animarum zelus.

Michael Beck oriundus ex Oppido Achstetten quatuor horarum ab Ulma distante spatio. Cunis fere magnis cœpit subjectus esse adversitatibus. Tempore Pestis vitam quidem servavit suam, sed a Suecico milite nunc cum Parentibus coactus est patrios deferere lares, nunc propriis facultatibus exutus, nunc huc illucque jactatus non modica subivit pericula. Capacissimo ingenio præditus stabilem Musarum sedem non inveniens, unum alterum-

rumve Magistrum quidem invenit, qui studiorum litteris puerulum informarent, sed nullo certo ordine aut methodo animi sui talenta excolere potuit. Quatuor duntaxat scholas absolvit majoris scilicet Syntaxeos tantum legibus informatus, cum ad nostrum Collegium anno 1637. veniret, quo scilicet Georgius Fæderlinus ad Professionem religiosam fuit admissus. Reverendissimus Dominus Jacobus priusquam supplicantis pro canonico habitu juvenis vota audiret, probe illum examinavit, probavit spiritum, consideravit mores ac in illius indolem sollicite inquisivit. Placuere in Candidato isto omnia ac præsaga mente quævis bona sibi omninabatur de Michaele. Sacra proin veste eodem adhuc anno induit, vilaque illius in vocatione constantia, ac fervore finito tyrocinio anno 1638. per Professionem religiosam canonice adscriptis militiæ. Anno sequenti ad studium humanitatis mihi Dilingam, ubi sub Patrum Societatis Jesu disciplina hæsit per quadriennium, quo elapo Philosophicis scientiis excultus, & Juris Canonici Candidatus omnibus numeris absolutus domum est reversus. Informandæ juventutis post suscepit anno 1648. Sacerdotium Magisterio applicatus spartam suam ex omni parte implevit non sine docentis, non sine discipulorum maximo fructu. Paulo post Decanali ornatus officio, parvolorum nihilominus instructionem continuare voluit per horas a necessariis aliis negotiis vacuas. Curæ animarum undique copiosissime ob bellii injurias accurentium indefesse incubuit, non solum Confessionibus excipiendis in Wengensi Ecclesia, sed etiam concionando in domo Teutonica, quam Cathedram cum frequentius concenderet, multis injuriis est exceptus, quas tamen omnes insuper habuit, ac etiam carceres minitantibus non obtemperavit, sed apostolico zelo animatus verbum Domini imperterritè annunciat. Foras sèpe evocatus in diversis Parochiis Ulme vicinis subsidio fuit animarum curionibus. Accidit semel, cum scilicet Erbacensem Vicarium in Spiritualibus ageret, ut quædam die Dominica pluvio cælo ad ægrotum quemdam, Werdnave graviter decubentem, vocatus illuc equo cum ædito veheretur, ac per viam tres gallicos equites insequentes adverteret, qui Erbacum inter & Werdniam comprehendens mox sistere jussérunt, atque ex equis ambos descendere, prædæ loco secum avehendis. *Licet vero Numen Eucharisticum (verba sunt ipsius Michaelis in M.S. suo Diario) in bursa e collo pendulum ipsis monstraverim, nihil effecisse tamen, nisi tandem me agnoverisset Sacerdotem esse Catholicum.* Itaque prædandi intentione abjecta comitari me securitatis causa per reliquum iter voluere, quam tamen humanitatem omni verborum elegantia deprecatus sum. Valediximus ad invicem, cumque mihi objicerent zelosi Prædones, moris haud esse ad ægrotos equo tendere, sed in ejusmodi occasionibus viris apostolicis iter faciendum esse pedibus; ego ratione equi pluviam tempestatem causatus, regessi: *juxta septimum Decalogi Præceptum etiam abstinentiam esse a furtis & deprædationibus;* sæpius tamen hoc Præceptum prævaricari sique ab invicem in pace discessimus. Ob religiōam conversationem, maturitatem morum, ac singularem in rebus administrandis prudentiam merito in gaudium Domini sui intravit, ac maxima felicitatis pars, quæ Jacobo regnante in Insulas nostras promanavit Michaeli quoque adscribenda venit, quem ceu fidelem Ministrum, ac Consiliarium in omnibus expertus est. Habuit insuper in illo in gravissimis adversitatibus consolatorem, qui suaviloquentia sua & dissipare nubila ac pristinum solis jubar noverat reducere. Felix Jacob, qui in Michaele Angelum non habuit, quocum luctaretur, sed in omnibus fidelem, & pacis amantem coadjutorem, qui per annos plures, quibus in animo dimittendi Præposituram consilium foyit, diutius ad clavum sedere persuasit.

§. II.

Ejusdem Electio, cum Bulla Romani Pontificis Alexandri VII.

Circumstantiæ temporum, ac Bellonæ aquilonaris furores necdum patiebantur in Insulis nostris, ut Canonicorum augeretur numerus, qui tunc quaternario definiebatur. Præter Præpositum Jacobum D. Georgius Fæderle, D. Michael Beck, D. Franciscus Thalhofer, & D. Augustinus Jegle nemo alias erat in Navi tot flumib[us] jactata, firmum tandem, fixumque erat Jacobo Præsuli, clavum e inanibus dimittere, ac alienos humeros Præposituræ onere gravare. Re cum venerabili Capitulo sæpius ac mature petractata, Jacobus 30. Junii anno 1653. jus Prælaturaæ suæ multa cum modestia ac humilitate in manus suorum Confratrum depo-

T r r t t 2

suit

suit, rogavitque ut ipso meliorem in Successionem canonice eligerent. Sors cum aggratulatione omnium in Michaelem Decanum cecidit, quam ægre tandem etiam admissit innata ipsi demissio, prudentiaque haud ignorantis, plus oneris, quam honoris sibi imponi. Nemo ex Capitularibus, nemo ex omnibus etiam extraneis fuit, qui factæ Canonicae Electioni aliquid opponeret. Moras nihilominus passa est Roma Electionis hujus confirmatio, ac primum post biennium obtenta, et si satis mature pro illa impetranda Sedi Apostolicæ supplicaverit. Morarum causas nescio, de justitia autem illarum dubito. Illa enim tandem ad solatum Collegii nostri, & Catholicorum omnium, qui instar Patris Michaelem venerabantur, advenit, Bulla scilicet Alexandri VII. Romani Pontificis Maximi, per quam provisorio modo (ut fieri assolet) Michael constitutus suit in Wengensem Præpositum quæ data est Roma apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Kalendis Octobris Pontificatus sui primo. In hac Bulla simul Privilegium insertum est, ut a quoconque (quem maluerit) Catholico Antislite gratiam & communionem dictæ Sedis (Apostolicæ) habente, munus benedictionis recipere, libere ac licite valeat, ac eidem Antisliti, ut illud sibi impartiri libere ac licite possit ac valeat, plenam ac liberam licentiam & facultatem per præsentes habeat. Hoc etiam usus Privilegio Reverendissimus Praeful noster Abbatialem benedictionem 27. Aprilis 1656. a Reverendissimo Domino Gaspare Episcopo Adramitano Suffraganeo Augustani Episcopi in Ecclesia Canonicorum Regularium S. Georgii Augustæ Vindelicorum in concursu populi maximo obtinuit & accepit, ad suos iterum reversus, & maximo gudio exceptus est. Bullam prædicti summi Pontificis integrum referre hic liceat, quæ sequentis est tenoris.

Bulla Alexandri VII. Pontificis Optimi Maximi impetrata
Anno 1656.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Magistro Juliano Amado in utraque signatura nostra Referendario, & Augustano & Constantiensi Officialibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Summi dispositione Rectoris ad regimen universalis Ecclesiæ assumpti, curis angimur assiduis, & continua meditatione pulsamur, ut opem & operam quantum nobis ex alto conceditur efficaces impendamus, quod orbis Ecclesiæ, & Monasteria universa Pastorum regiminiibus destituta per nostræ Providentiæ ministerium viris committantur idoneis, qui sciant, velint, & valeant Monasteria ipsa feliciter regere, & salubriter gubernare. Exhibita siquidem nuper nobis pro parte dilecti Filii Michaelis Beck Presbyteri Ordinis sancti Augustini Canonicorum Regularium expresse professi petitio continebat, quod alias Præpositura Monasterii per Præpositum gubernari soliti, sancti Michaelis Archangeli ad Insulas Oppidi Imperialis Ulmensis ejusdem Ordinis Constantiensis Diæcesis Provinciæ Moguntinensis tunc per liberam dimissionem dilecti Filii Jacobi Mick, nuper dicti Monasterii Præpositi de illa quam tunc obtinebat in manibus dilecti Filii Conventus dicti Monasterii ad quos electio personæ idoneæ ad Præposituram hujusmodi, dum pro tempore vacat, de antiqua, & approbata habetensque observata consuetudine pertinere dignoscitur extra Romanam curiam sponte factam, & per eundem Conventum extra curiam privatum admissam vacante ad illam sic vacantem Conventus Monasterii hujusmodi eundem Michaelem in dicti Monasterii Præpositum concorditer elegerunt. Cum autem sicut eadém petitio subjungebat electio hujusmodi, & inde sequuta quæcumque certis de causis viribus non subsistant, & sicut accepimus eadem Præpositura adhuc ut prius vacare, & ejus dispositio ad sedem Apostolicam canonice pertinere noscatur, nos cupientes eidem Monasterio de persona secundum cor nostrum, utili & idonea, per quam circumspecte regi, & salubriter dirigi valeat providere, ac sperantes, quod dictus Michael de cuius Religionis zelo, vitæ ac morum honestate Spirituallium providentia, & temporalium circumspetione, aliisque multiplicum virtutum donis fide digna apud nos testimonia perhibentur dicto Monasterio esse poterit plurimum utilis, ac etiam fructuosus, ipsumque Michaelem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodo libet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum horum ferie

serie absolventes, & absolutum fore censentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios Præposituram præfatam, quæ conventionalis existit, ac cuius, & illi forsan annexorum fructus, redditus & proventus viginti quatuor Ducatorum aurum de Camera secundum communem existimationem valorem annum, ut dictus Michael etiam afferit non excedunt, sive, ut præfertur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscunque persona, seu per liberam resignationem dicti Jacobi, vel cuiusvis alterius de illa extra dictam curiam, etiam coram Notario publico & testibus spontedecessoris nostri, quæ incipit Execrabilia &c. vel assequi obitum vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsaque Præpositura dispositioni Apostolicæ specialiter reservata existat, eique cura etiam jurisdictionis immineat animarum, ac super regimine, & administratione dicti Monasterii inter aliquos lis in pectorio, vel possessorio, vel quasi molestia, cujus statum præsentibus perhiberi volumus pro expresso pendeat indecisa: dummodo tempore datura præsentium non sit eidem Monasterio de alio Præposito provisum, eidem Michaeli conferre, & assignare, ipsamque illi in Præpositum præficere, curam, regimen, administracionem, ipsius Monasterii in Spiritualibus & temporalibus plenarie committendo auctoritate nostra curetis, facientes sibi a Conventu præfatis obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, nec non a dilectis Filiis, Vasallis, & aliis Subditis ejusdem Monasterii consueta servitia, & jura sibi ab eis debita integre exhiberi. Contradictores auctoritate nostra præfata appellatione postposita compescendo. Non obstantibus piæ memorie Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri & aliis Apostolicis constitutionibus, ac Monasterii & Ordinis præfatorum, etiam iumento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si Conventui, Vasallis, & Subditis præfatis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim præfato Michaeli, si collationem & assignationem, ac præfectionem hujusmodi per vos, vel aliquem vestrum vigore præsentium fieri contigerit, ut præfertur, ut a quoconque quem maluerit Catholicò Antistite gratiam & communionem dictæ sedis habente munus benedictionis recipere libere ac liceat valeat ac eidem Antistiti, utiliud sibi impartiri libere ac liceat possit, & valeat, plenam ac liberam concedimus licentiam, & facultatem per præsentes. Volumus autem, quod dictus Antistes, qui minus præfatum eidem Michaeli impendet, antequam illud ei impendat, ab eodem Michaeli nostro, & Romanæ Ecclesie nomine fidelitatis debitæ solitum recipiat juramentum, juxta formam quam sub Bulla nostra mittimus introclusam, & formam juramenti hujusmodi, quod præstabit, nobis de verbo ad verbum per suas Patentes litteras sub Sigillo unitas per proprium Nuntium quantocutius destinate procuret. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si fecis super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datae Romæ apud sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo quinto Kal. Octob. Pontificatus nostri Anno primo.

§. III.

Successus prosperi in rebus Spiritualibus ac temporalibus.

Reverendissimus hic Antistes noster, vir erat iustus Moysis Deo & hominibus dilectus; Deo quidem cuius honorem ac gloriam promovere in omnibus studuit, hominibus autem, quos demereri omnibus officiis satagebat, passim audiebat afflictorum consolator, pauperum Pater, pupillorum ac viduarum asylum ac Advocatus, quas ab injustis oppressionibus saepe proprio ære liberavit. Erga omnes mansuetus, & comptus, omnium etiam animos ad se attraxit. Hilaris ac erecto semper vultu erat, quem nunquam etiam in adversis depositit. Jurium Monasterii contra quosvis aggressores fuit defensor magnanimus ea tamen discretione, ut & ab ipsis adversariis fuerit cultus & amatus. Præsertim Catholicæ Religionis jura cordi habuit, quapropter primo statim Regiminis sui anno non levibus impensis ac rationibus gravissimis permotus omnem conatum impedit, ut ab Augustissi-

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

U u u u u me

mo Imperatore Ferdinando Tertio Collegium nostrum cum civibus adhuc Catholici in specialem Imperii protectionem suscipietur. Diploma Cæsareum datum est Ratisbonæ 7. Octobris anno 1653. Quid pro bono Religionis fecerit, quas contradictiones, quæ mala sustinuerit, quas molestias devoraverit, quanta sollicitudine pro illius conservatione laboraverit, quos imploraverit Patronos, quas expensas fecerit, satis Manuscripta illius nos docent Diaria quæ hic referre minime opus est.

Ut disciplina regularis in Insulis nostris seculuris temporibus firmiori subsistet talo; multum laboravit cum suo R. D. Decano D. Georgio Fæderlino pro novis condiendis statutis, seu potius pro antiquis olim authoritate Apostolica per Udalricum Brodtkorb Præpositum Vnderdorffensem nobis traditis ad Collegii nostri statum accomodandis & explicandis; quo negotio ambo tanquam restitutores disciplinæ ubique sunt dilaudati.

Cultus Divini summus amator fuit, ad ultimam usque senectam frequentans horis Canonicis (quæ anno 1659. post tempora Belli omnes in Choro recitari cœperunt) nisi aliis negotiis præpeditus, aut in valetudine distensus, interesse voluit: tempus etiam reliquum a cuius regiminis liberum piis orationibus aut meditationibus sacravat. Mirum ergo nemici esse debet, quod tantarum virtutum Præfus in omnibus fere rebus prosperum habuerit successum. Sub eo incrementum sumpsit supellex Ecclesie, statuamque B. V. argenteam marcharum triginta trium summæ aræ pro suo in Dei Matrem affectu imposuit. Calices aliquot, naviculam argenteam cum thuribulo, scyphum argenteum pro Communicantibus, pelvum eum cantharo, pedum pastorale cum aliis ad celebrandum divinum Officium vasculis magnis expenparavit, ut taceam de reliquo sacrarum vestium sacerdotialium pretioso ornatu, quo domum Deipia ejusdem prodigalitas ditarvit.

Redditibus nostris accesserunt Prædium in Hünlangen emptum ab illustri Domino Wilhelmo Delireo Vngelter 2200. florenis. Prædia duo in Lehr, Prædia aliquot in Weihenzell, Prædium in Roth, Prædia in Raunertshofen ac alii minoris fundi ac prata varia. Admodum Rds Dominus Joannes Menter Canonicus Novi-Monasterii Heribaldi omnium bonorum suorum immobilium, & mobilium, (Patria Ulmensis erat) decem millia florenorum summam excedentium nos heredes scripsit. Facta item fuit donatio inter vivos a Perillustri ac Generoso Domino Luitpido L. B. ab Ulm in Eßbach domus cujusdam in Donauridem cum aliis, cui vicissim ex obligatione Deo offertur Missa sabbathina perpetua de B. V. Præterea sub ilius regimine liberalissime donationibus suis nos locupletarunt Adm. Rds D. Antonius Opferus, Parochus pro tunc in Munzingen in Brisgoia. Donatione pariter munifica 3000. florenorum Benefactoris nomen meruit Adm. R. D. Christianus Schmukerus Decanus Venerabilis Capituli Ehingeni.

Restauravit Michael per totum Cœnobium omnia testa. Anno 1661. de novo molitus est a loco Prælaturæ usque ad Archivium locum pro hospitibus. Anno 1666. domum pro familia domestica extruxit, vulgo das Bauren haus. Cryptam pro sepultura Fratrum in Ecclesia sub Choro aliaque multa ædificia œconomus prudens ac providus Posteris reliquit.

Anno 1663. sacellum domesticum S. Crucis, seu Capitulum, ac sub illo Sacristiam alatere Chori exædificavit, quod tamen totum ædificium ob novam strætam Collegii nunc destruetum est. Sacellum hoc domesticum primu[m] consecratum fuit anno MDCLXXI. cum tribus aliis Altaribus, quæ ad honorem & gloriam Numinis piissimus Præfus excitavit, quod ex sequenti scriptura docemur.

Anno Domini MDCLXXI. die 21. Junii styli veteris Reverendissimus & amplissimus DD. Georgius Sigismundus Müller Episcopus Heliopolitanus, Suffraganeus & Canonicus Cathedralis Ecclesie Constantiensis &c. ritu consueto consecravit Sacellum nostrum domesticum in honorem SS. Crucis & Altare ibidem in honorem ejusdem, & SS. Michaelis Archangeli, Angeli Custodis, & omnium Angelorum; atque in id recondidit Reliquias SS. Placidi Mart. & Perfectæ Virginis. Item eas Reliquias, quas reperimus in destructione Altaris (quod anno 1551. in antiquo Capitulo, ubi nunc Sacristia est, ab Rdmo D.D. Jacobo Ascaloniensi Episcopo consecratum fuit) nomina tamen eorum ob antiquitatem, & scheruale corruptionem legi non potuerunt. Hujus Sacelli dedicationem annuam prædictus Reverendissimus Suffraganeus celebrari concessit die eodem 21. Julij secundum Calendarium novum.

Eodem die & anno idem Reverendissimus Dominus Suffraganeus sequentia tria Altaria solemni ritu consecravit.

Pri-

Primum in Sacraria : in honorem SS. P. N. Augustini & omnium Sanctorum Ordinis nostri : recondita sunt Reliquia SS. Cosmæ & Damiani , S. Florentii Mart. & Sanctorum e Societate S. Mauritii &c.

Alterum sub testudine Chori in cornu Evangelii : in honorem B. V. Mariae immaculatae conceptæ , & SS. Josephi , Catharinæ ac Barbaræ Virginum & Martyrum. Recondidit Reliquias SS. Placidi Mart. & Perfectæ Virg. & aliorum.

Tertium sub testudine Chori in cornu Epistolæ in honorem SS. Sebastiani Martyris , Rochi Conf. Joannis Baptiste , & Joannis ac Lucæ Evangelistarum : reclusit Reliquias SS. Laurentii Mart. Undecim millium Virginum. Pelagiæ Martyris Arthemii & Perfectæ.

Postrema hæc duo Altaria in Ecclesia nostra adhuc in flore persistunt , reliqua autem duo , ut supra memini , ob novi Collegii structuram anno 1699. cum Saccello domestico (cui tamen alterum successit sed hactenus nondum consecratum) fuere destructa.

§. IV.

A Romano Pontifice Innocentio XI. obtinet usum Pontificalium.

Cum grandia Michaelis tam in rempublicam Ecclesiasticam , quam prophanam merita in omnium oculos incurrent , frequentes tam ex Catholicis Patriis Ulmensibus , tum ex propriis Capitularibus tum ex amicis ac Prælatis in vicinia suosores illum accesserant , ut a Romana & Apostolica Sede usum Pontificalium supplicibus litteris impetraret , addidere rationes gravissimas , non tales , quæ ambitionem in ejudem animo accenderent , sed humilitatem illius ob manifestam utilitatem & animarum salutem potentius promovendam , & Catholicorum in Illma majus solatium inclinare ad assensum possent. Cessit his tandem ægre licet persuasus & illustrissimo ac celerrimo S. R. I. Principi & Episcopo Constantiensi supplicavit , ut si ratum habere vellet hoc non tam suum , quam aliorum desiderium commendatiisque litteris ad Romanum Pontificem datis clementissime dignaretur promovere ad effectum. Gratiissime etiam annuit Celerrimus Princeps ac sequentes litteras ad Clementem X. Romanum Pontificem anno 1673. 7. Februarii in favorem Michaelis scribi curavit , quarum tenorem hic exhibeo :

Beatissime Pater !

Cum ad Thronum Sanctitatis Vestræ modernus Præpositus Wengensis Ulmae Ordinis Cann. Regg. S. Augustini Diæcesis Constantiensis pro usu Mitræ ac reliquorum Pontificalium humillime impetrando supplex accedere intendat , ego vero ipsius desiderium , quantum in viribus meis est promovere cupiam , indubitate spe fatus , futurum , ut talis concessio in magnum hujus Monasterii ac Catholicæ Religionis in tam celebri ac Imperiali , licet alias acatholica civitate Ulmenfi cedat incrementum , hinc Sanctitatem vestrâm ipsus quoque demississime rogare volui , quatenus dicto Oratori in concedendo usu Mitræ ac reliquorum Pontificalium clementissimum annutum præbere dignetur . quod dum a Sanctitatis vestræ benignitate humillime exspecto , ejusdem paternis favoribus ac gratiis cum submississimo sacrarum manuum osculo memet obsequiosissime commendando .

Constantia 27. Februarii 1673.

Hac tamen gratiosissima commendatione suffultus meritissimus Præful noster a Sede Apostolica speratam gratiam obtinere haud potuit. Nihil interea omisit , ut quotidianis meritis illa dignorem se redderet. Ipsemer Celerrimus Princeps & Episcopus Constantiensis cum se quoque non auditum adverteret , novis precibus ac litteris defuncto SS. D. N. Clemente X. Innocentio XI. in Cathedram Petri suffecto Michaeli commendavit in sua ad Eminentissimum D. Cardinalem Carpini-um Zritola , data Marisburgi 18. Junii 1676. in qua multis laudibus Collegium Wengense extollit tanquam Monasterium ut a fundationis antiquitate , ita a disciplina vere regulari religiosa ibidem florente præclarum ac a nemine non recommendandum. Suplici Libello similiter humillimam suam petitionem urgebat coram Pontificio Solio

Uuuu 2

Ptæ.

Præfus noster, ac tandem obtinuit, quod voluit cum pluribus aliis Privilegiis, in compensatione in meritorum suorum pro fide Catholica, quibus adhuc gaudent Successores, qui in labores illius intrarunt.

Etsi autem jam ante litteras Celsissimi Principis & Episcopi Mariburgi hoc anno scriptas, Romæ fuisset Bulla Pontificis in favorem Michaelis expedita; tam diu nihilominus fuit retenta donec accessisset Præfati Celsissimi commendatio, pro qua Wenga æternis gratitudinis vinculis fese fatebitur obstrictam. Eodem itaque anno Innocentii XI. Pontificis Maximi Bulla cum maxima Catholicorum Ulmensium ac Collegii nostri lætitia Ulmiam delata est, quæ hic in extensa forma sequitur.

Bulla Innocentii XI.

Nos Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam in Apostolicae Dignitatis folio, & potestatis plenitudine Summa Redemptoris nostri Clementia, meritis, licet imparibus constituti ad ea libenter intendimus, per quæ provisionis nostræ auspiciis Monasteria insignia, eorumque Abbates, seu Præpositi eis pro tempore præsidentes, majoribus semper honoribus & dignitatum prærogativis extolli & decorari valeant. Sane pro parte Dilecti Filii Michaelis Beck moderni Præpositi seu Abbatis Sancti Michaelis Archangeli Wengen nuncupati in Oppido civitate etiam nuncupato Ulmensi Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Constantiensis Diæcesis Provinciae Moguntinensis nuper nobis exhibita petitio continebat, quod dictum Monasterium per Præpositum gubernari solitum, satis antiquum a quingentis nempe annis & ultra, & sanctæ Sedi Apostolicae immediate subjectum ac unum Præpositum, seu Abbatem, & duodecim Canonicos Regulares cum aliquot Scholaribus habens in dicto Oppido Ulmensi situm & fundatum existit, quod quidem Oppidum inter Imperii civitates celeberrimum, & præcipuum est, quippe quod in eo multo populi numero refecto sepe comitia pro tractandis circuli suevici gravibus negotiis, ubi Principes, Magnates. Comites & Proceres interfundunt, habentur, & hoc unicum Monasterium cum sua eleganti Ecclesia, absque alia in dicto Oppido omnino labe hæresecos infecto existit, quod illibatam inter hujus temporis grassantes hæreses ad strenue Fidem Catholicam conservavit, ut neendum inter ejus claustra omnis a sanctæ Matris Ecclesiæ veritate aliena opinio exulet, imo extra dictum Oppidum adeo fideles foveat, ut ex Oppidis, terris, pagis, & aliis circumvicinis locis ad dictum Monasterium pro ipsorum animabus Sanctissimo Evcharistia Sacramento reficiendi sexdecim millia Edeliorum singulis annis affluant, ibique Spiritualibus consolationibus recreentur, dictum vero Oppidum a civitate Constantiensi duodecim Milliaribus germanicis, Millaria Italica sexaginta & amplius constituentibus distet, propter quam distantiam sit, ut multi fidelis Missam, aliaque Solemnia Ecclesiastica juxta ritus Pontificales celebrare non videant, unde si in Ecclesia dicti Monasterii præfata Solemnia fierent, non vulgarem exinde devoti Christi fideles sumerent consolationem, ac major, & frequentior inibi populi multitudo ad divina confluueret, & conveniret, ac etiam multi hæresecos labe infecti ab erroribus reverentia & gravitate tantarum Ecclesiæ Ceremoniarum, quas non videntes, sibique tanquam ludibria ab eorum fautoribus repræsentatas abhorrent, profecto illarum dulcedine & pulchritudine allecti avocarentur, ac magis indies ad orthodoxam Fidem amplectendam invitarentur, ob idque Ecclesia dicti Monasterii aliqua speciali prærogativa a nobis & Sede Apostolica condecorari non indigna videatur.

Nos igitur, qui Monasteriorum, aliorumque locorum Ecclesiasticorum, & Præpositorum seu Abbatum decorem & venustatem sumopere exoptamus ac Michaelem Præpositum seu Abbatem & Monasterium hujusmodi specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, ipsumque Michaelem Præpositum seu Abbatem a quibusvis Excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis Sententiis censuris & poenis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes & absoluimus fore censentes ejus in hac parte nuper desuper proiectis supplicationibus inclinati ex voto Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, litibus Ecclesiasticis præpositorum, eidem Præposito seu Abbati & suis Successoribus pro tempore existentibus ut ipsi ex nunc perpetuis futuris temporibus Mitra, Annulo, Baculo, Pastoralibus & aliis Pontificalibus Insigniis uti, nec non in præfata sua propria Ecclesia, tan-

tummo-

tummodo in qua ipse Michael & Præpositus seu Abbas pro tempore existens in Pontificalibus celebrabit, benedictionem solennem, post Missarum, Vesperum, Matutinorum & aliorum divinorum Officiorum Solemnia super populum inibi tunc existentem, dummodo inibi aliquis Antistes seu Sedis Apostolicae Legatus præsens non fuerit, si vero præsens sit, ad id expressus accedat assensus, elargiri, ac omnes & singulos suos regulares subjectos solum Clericos, si quos habet, ad quatuor Minores Ordines, primamque tonsuram servatis a jure temporibus promovere & dictos Ordines minores primamque tonsuram solum regularibus subjectis juxta Decreta alias emanata & in proprio Monasterio conferre nec non cruces, calices, campanas, vasæ, tibes acula, nec non altaria, corporalia, vestimenta etiam sacerdotalia & alia paramenta & ornamenta Ecclesiastica quæcumque in quibus sacri Olei vel Chrismatis unctio non adhibeat pro præfata Ecclesiæ commoditate benedicere, dictique Oppidi locorumque hujusmodi Ecclesiæ & Cemeteria, quæ sanguinis vel feminis humani effusione aut alias quomodolibet pollui contigerit, aqua prius per eum benedicta reconciliare libere & licite valeat, excepta semper facultate absolvendi Hæreticos, Apostolica Authoritate tenore præsentium concedimus & indulgemus, plenamque ac liberam ac omnimodam facultatem, & autoritatem desuper impartimut decernentes, easdem præsentes semper & perpetuo validas ac efficaces fore, & esse, ac sub quibuscumque similium & dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus minime comprehendendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum & validissimum statu restitutas, repositas, & plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandociusque eligenda, concessas esse & fore sique per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos quavis authoritate iungentes judicari & definiri debere irritum quoque & inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, Provincialibus, generalibus Conciliis editis, & edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac dicti Ordinis nec non Monasterii præfati etiam juramenta confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis & consuetudinibus quibus omnibus & singulis etiam de illis illorumque totis tenoribus specialis, expressa, & individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quavis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis in suo robore permanuris latissime hac vice duntaxat, harum serie specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, facultatis & autoritatis, impartitionis, Decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Mille-simo Sexcentesimo Septuagesimo Sexto, daodecimo Kalend. Februarij Pontificatus nostri anno primo. H. Costa.

(L.P.)

§. V.

Visitat Wiblingæ ex commissione Episcopi Constantiensis Capsulas Corporum SS. Bonifacii & Fortunati Martyrum, & pie in Domino moritur.

Ex subsequenti Copia Attestati tituli præsentis f. elucet veritas.

Nos Michael Monasterii Wengensis Ulmæ Ordinis Canoniconum Regularium sancti Augustini Præpositus, notum facimus & attestamur, quod anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi 1679. die vero 15. Januarij Reverendissimus ac amplissimus Dominus Dominus Maurus Abbas Monasterii Wiblingensis Ordinis S. Benedicti, in ejusdem Monasterii Ecclesiæ Sacristia coram Nobis ac Dominis Testibus infra scriptis personaliter constitutus, paucis exposuerit, qualiter ab Admodum Reverendo Patre Felice de Niderdorff Prædicato-

Tom. V Cann. Regg. Orig. Pars altera,

X x x x x

re

re Ordinis Capucinorum dono acceperit corpora sancti Fortunati & Bonifacii Martyrum, in ligneis capsulis, quas monstraverat bene clausis. Quia vero juxta Decretum sancti Concilii Tridentini nullas Reliquias recipere aut publicæ Fidelium venerationi exponere liceat, nisi prius Ordinarius eas recognoverit, ac approbaverit, ideo prædictus Reverendissimus Dominus Maurus Abbas requisivit, quatenus Authoritate ordinaria prædictæ Reliquiæ, & desuper Romæ confecta instrumenta authenticæ recognosci, inspici & approbari placeret. Quare ex speciali Commissione Reverendissimi & Prænobilis Domini Josephi ab Ach Celsissimi & Reverendissimi Principis Episcopi Constantiensis in Spiritualibus Vicarii Generalis ejusdemque nomine, in præsentia testium, Admodum Reverendorum ac Religiosorum Patrum ac Dominorum Patis Quardiani Capucinorum in Weissenhorn, & Domini Ambrosii Dorner Canonici Regularis in Wengen primo instrumenta Romaña diligenter inspeximus, ac legimus, qualiter anno 1678. die quarta Mensis Junii Reverendissimus ac Illustrissimus Dominus Dominus Joseph Evasinus Episcopus Porphyriensis, & Sacratissimi Apostolici Praefectus &c. Admodum Reverendo Patri Felici de Niderdorff Prædicatori Ordinis Capucinorum Corpora seu Ossa Corporum sanctorum Martyrum Fortunati & Bonifacii dono dederit, cum potestate ea apud se retinendi & alteri donandi, extra urbem mittendi, & in qualibet Ecclesia vel Oratorio publicæ Fidelium venerationi collocandi & exponendi: quæ litteræ manu propria ejusdem Reverendissimi Domini Domini Episcopi subscriptæ suoque Sigillo firmatæ fuerunt: Inde capsules lignæs charta depicta coopertas, vittisque serici rubei coloris juxta tenorem istrumentorum ligatas & Sigillo supra memorati Reverendissimi illelo muritas, beneque obfirmatas aperiimus, ac in illis sacra Ossa sanctorum Fortunati & Bonifacii Martyrum optime reposita invenimus ubi præter Insigniora, aliaque tum majora tum minora ossa, & ampullas vitreas, in quibus sanguis concretus, fractas quidem videre licuit capita integra cujusque Sancti, nisi quod sancti Bonifacii ex parte una aliqualiter destructum, una tamen cum mento sine inferiore parte omoibus suis dentibus adhuc constante, quæ sacra capita debita Reverentia deprompta una omnes præsentes pio osculo venerati fuimus, laudantes Deum in Sanctis ejus. Pro majore hujus Attestationis firmitate præsentes manus propriæ subscriptione & consueti nostri Sigilli appressione roboravimus. Ex Monasterio Wengensi Ulmæ 25. Januarii 1679.

Michael Praepositus ibidem.

(L.S.)

Post adeptos Infulæ honores Reverendissimus Praeful noster per quadriennium a thuluis præterat, cui cum Mitra ac Pedo novus accessit virtutum splendor. Annos demum 1681. Hemiplexia tactus usum brachii dextri & pedis cum loquela amissit, quia ad orbem usque sic caruit, ut ergo vel a suis intelligi potuit. Administravi interim rem domesticam, ea, qua erat sedulitate Admodum Reverendus Dominus Georgius Fæderle Decanus, antehac particeps omnium, quæ vel circa cultum divinum, vel forensia laudabiliter erant gesta. Omni vero Medicorum arte delusa certens idem Reverendissimus seconeri Prælaturæ profus imparem, eande n libera sponte in manus Capituli dimisit, reservata sibi pensione annua. Patientia, dante morbo, & humilitate fuit mirabili, suis & aliis omnibus imitanda. Post biennium fere admissa Prælatura diem clausit extremam diem sexto Octobris anno 1683. circa hora septimam vespertinam, reconditus in cripta ab ipso recens consistit die nona Octobris relicta fama optimi Praeful nuncquam intermoritura. Liceat tabula plumbæ ejusdem Sacrophago sequens Epitaphium inscribere.

Epi-

Epitaphium.

Hic jacet

Reverendissimus Perillustris ac amplissimus

DD. Michael II. inter Præpositos

Wengenses Ulmæ XXXI.

Inter Abbates Infulatos Primus

Nulli Virtute ac Pietate

Secundus

Princeps magnus, Præpositus Paradisi, Salutis

Signifer.

Princeps fuit magnus

Spiritu principali a Deo donatus,

affectus suos Præsul omnibus numeris

absolutus

Sub perfecto Dominio habuit.

Præpositus Paradisi erat:

In locum enim Spiritualium deliciarum

& castissimæ voluptatis

Wengensem mutavit Insulam.

Salutis Signifer

Pro fide ac Religione Catholica Vexillum

Constanter tenuit erectum

fideliter stetit in acie,

ac Verbi Dei gladio gloriose decertavit.

Draconem stygium

Ne sibi ne suis nocere posset,

Exemplo optimo prælucens aliis

semper habuit sub pedibus.

Animas sibi a Deo commissas suscepit, instruxit,

ac rexit fideliter

Animam inter suam fractus laboribus

perdidit

ut in vitam æternam custodiret eam.

Anno MDCLXXX.

II. Julij.

Brachii dextri & Pedis cum loquela

usum amisit;

laborare tamen non destitut, sed laborem duplicavit

pro salute animæ suæ

Patientiæ Christianæ & Religiosæ

Insigne Exemplum.

Pedis beneficio destitutus ac privatus

cum ire non posset,

geminis alis instructus

X X X X 2

Charitatis scilicet Dei & proximi
evolavit in cœlum

Anno MDCLXXXIII.

VI. Octobris

ubi lingua minime impedita

Dei laudes in Choro

Angelorum

Decantabit perpetuo in gloria.

M. P.

Grata Posteritas.

S. VI.

De Joanne Præposito XXXII. ac Abate Infulato II.

Joannes Dürr Augustæ Vindelicorum Anno Domini 1643. ex per honestis Parentibus natus professionem religiosam in Insulis nostris emitit Anno 1662. Religiosus adhuc privatus vitam semper duxit notiorem Deo, quam hominibus, solitudinis, quietis, ac pacis constanter amans, vitæ religiosæ Magister Novitiis aliquoties præfuit, ecjus schola egregii aliquot viri prodire. Secundus Insularum nostrarum mitratus Antistes communibus Capitularium votis anno 1682. ad Prælaturæ clavum assumptus est, ac post confirmationem ab Inocentio XI. obtentam in Ecclesia celeberrima Canoniæ Creuzlingensis administrante Reverendissimo Per. Illustri ac Amplissimo Domino Georgio Sigismundo Episcopo Heliopolitano Suffraganeo Constantiensi assistentibus Reverendissimis Abbatibus ac Dominis Creuzlingensi, & Petersfano Benedicti munus Authoritate Apostolica accepit. Congenita morum suavitate constantissime Canonico suo cœtui præfuit. Musas & altiores scientias domi promovit missò prius ad Universitatem Dilinganam ex religiosis suis filiis Augustino Erath ab Erathsberg sublimis ingenii Viro. Ecclesiæ nostræ supellecstile sex argenteis Candelabris, Bibliothecam pretiosis quibusdam aliisque Voluminibus, supellecstile domesticam tam conventualem, quam abbatiale, ac hospitale tum aureis, deauratisque, tum argenteis utensilibus satis liberaliter auxit, parsimonia abbatialis argumentum admodum numerosum in ærario, cum suo semunere abdicaret, reliquit, disciplinam autem domesticam optimis moribus dedit. Decennio tandem Regiminis sui cum aliquot mensibus completo, cum illi cum huiate Magistratu minus conveniret, ac continuis fere litibus implicaretur, vitam insuper clinicam duceret, sponte ac libere honoris & laboris oneri se se subtrahere volens per dimissionem Prælaturæ in manus Conventus Successori suo locum ad Dignitatem Abbatialem reliquit anno 1693. reservata tamen sibi pensione annua. Deinceps sibi soli vixit, seque totum quantum piis exercitiis consecravit, tempus omne orando, metitando, legendo aut manuali exercitio utilissime transgens. In Elchingensi Imperiali Monasterio Ordinis S. Benedicti, Ulmæ vicino, ut animæ suæ quietis vacare posset, hospitium quæsivit, & per Reverendissimi Abbatis Meinradi gratiam etiam per annos plures invenit. Curandi tamen corpusculi sui, morbis variis afflicti, causa ad Medicorum confugit operam in Patria sua civitate nempe Augustana. Ibidem inter Canonicos San-Georgianos denuo per aliquot annos religiosissime est conversatus. Adhuc viventi & Augustæ moranti Pater Korbiniaus Khammius Hier. Aug. P. II. p. 365. sequens scripsit Elogium: *Joannes Dürr Præpositus Wengensis anno 1707. die octavo Aprilis Hospitium in celeberrimo Canonicorum Regularium ad S. Georgium Augustæ Monasterio sibi elegit, ubi hac tempestate (annus erat 1712.) potius solitarius, quam vitæ activæ deditus in procelloso istius mundi pelago securus navigat absque Naufragio: In Deo spem suam collocans, ei soli adhæret: strenuam in divinis obsequiis, jejuniis, aliisque mortificationibus exercitationem exhibens, animum omni virtutum genere exornat. Postquam redintegranda valetudinis spei nihil sibi superesse videret in Patria, ad Insulas denuo nostras ceu ad portum anno 1714. in Festo S. Matthæi reversus ad mortem se se preparavit per continua pietatis Exercitia quam etiam miseriarum satur anno ætatis 71. Sacerdotii*

47. anno 1715. die 21. Sept. in corona suorum Confratrum inter devotissima ad Deum & omnium morientium Matrem emissâ suspiria invenit, omnibus morientium Sacramentis ad extremam hanc luctam rite munitus. Corporis exuviae illatae sunt communi Cryptæ ac in loculamento Prælatorum reconditæ ubi communem resurrectionem exspectant. Inter adversæ sortis casus pie defuncti Præsulis tristissimus haud dubie fuit, qui Collegii sui Decanum, illisque veram columnam prostravit, ac deject in tumulum, Georgium Fäderlinum intelligo, virum æterna memoria dignum, nullisque sat laudibus celebrandum. Fuit enim Religiosarum virtutum speculum, vir Consiliorum, Angelus pacis, amor Confratrum, ac perpetuum Insularum Wengensium decus ac ornamentum Dinckelspuhla ex honestis parentibus natus, anno 1620. hanc miseriarum vallem ingressus est, & a puero omnem virtutem & pietatem edocitus. Maxima capacitate Ingenii, parique cum fructu humaniores Scholas cursumque Philosophicum absolvit, vanaque vanis relinquens anno ætatis suæ decimo octavo per Professionem Religiosam sese Supremo Numini mancipavit, sub Jacobo Præposito anno scilicet 1638. quo afflctissimus erat Collegii nostri multiplici ex capite status. Post emissâ vota verus obedientiæ filius, & Spiritu Religionis Canonico-Augustinianæ plenus, ex solo nutu Superioris sui pendens privatis studiis (Cum ad publica Musarum domicilia mitti haud posset, collegit Theologicarum Scientiarum supellecilem, ut post adeptam Canonicanam ætatem ac Sacerdotii honorem, curamque animarum magna cum laude & approbatione fuerit promotus. Anno 1651. post obita varia officia in Decanum electus Regularis observantiae Assessor, Custos, & Propagator fuit adeo fervidus, ut ab ipsomet Reverendissimo ac Celsissimo S. R. I. Principe ac Episcopo Constantiensi Domino Domino Francisco Joanne a Prassberg frequentibus litteris expeditus & evocatus fuerit e nostro Collegio Oeningam, ut hanc Canoniam nonnihil in tepeſcentem zelosi spiritus sui flamma auctoritate Episcopali constitutus Decanus ad novum calorem reduceret. Adeo Clementissimi Principis brevi tempore satisfecit desideriis, ut ægre dimissum, & non nisi post multos preces redire permiserit ad gremium, labores illius munifica liberalitate, ac perpetuis gratiis erga Collegium Wengense remuneratus. Per annos fere quadraginta Decani munere fungens sub Michaele ac Joanne Abbatibus Wengensem vineam fodere, colere, pastinare, ac fertilem reddere communi labore studuit, quæ etiam, summo cum solatio, ad delicias Superum non labruscas, sed uvas dulcissimas protulit. Nemo non caput tam seduli operarii ominabatur olim Insula coronandum, sed priusquam illam deponeret Joannes, terris Georgium subitanea morte subduxit cælum, sub porta enim Collegii nostri apoplexia tactus communi omnium luctu obiit anno 1691. ætatis suæ 71. In Manuscripto Posterioris reliquit Tractatum, qui inscribitur: *Conditiones boni Superioris. item Mensam Spiritualem sapidissimis verculis instructam. Item Exercitia spiritualia oclidauna ac triduana pro secularibus in lingua vernacula, aliaque ad reformationem hominis interioris spectantia, sed non completa.*

PERIODUS III.

C A P U T VII.

Augustinus Præpositus XXXIII. Abbas Infulatus III.

§. I.

Augustini Patria, Studia & Electio.

Augustinus Erath ab Erathsberg Bavar. Diessæ anno 1656. Septembri 14. a Prænobilibus Parentibus felici Sydere natus. Tres germanos fratres habuit, qui omnes ad decus Ordinis Canonico-Augustinianis effloruerent. Primus erat Augustinus Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Andream Cistrasenam in inferiore Austria anno 1699. communi suffragio ex Imperiali Collegio Wettenhusano in Antistitem postulatus, qui doctissimis laboribus orbem litterarium sibi devinxit. Secundus erat Reverendus Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera, Y y y y y, diffimus

dissimus Dominus Antonius Ordinis Præmonstratensis, ac Steingadensis Cœnobii Prælatus optime meritus. Tertius Plurimum Reverendus Dominus Carolus Canoniae Diessensis Professus & Procurator magnis pariter meritis inclitus. Nulli ex his Augustinus noster vel ingenii felicitate, vel religiosa conversatione, vel rerum gestarum magnitudine aut eruditione erat inferior. Landspergæ ac Monachii inter Musarum Alumnos sub cura Jesuitarum semper eminuit, & postquam Apollini & Tullio valedixisset admissionem ad exemptas nostras Insulas instantissime petiit, & facile imperavit. Absoluto tyrocinio ad Academiam Dilinganam missus Philosophiaæ Arcana profundissime penetravit, post biennium vero ob paucitatem operiorum, cum Messis copiosa esset, domum revocatus privato labore Theologiae speculativæ vastum æquor adeo feliciter superavit, ut nemo non in illo protundissimum suspexerit Theologum. Per aliquot annos Parnaso Wengensi utiliter præfuit, ac multos Illustres juvenes ad magnam eruditionem perduxit, quorum gratitudinem posteris etiam temporibus est expertus, maxima dein cum laude Cathedram tam Philosophicam, quam Theologicam corscendit, ac doctrinæ sua fluenta in Sodales suos derivavit. Enituit in illo semper judicii maturitas, in rebus aëdis prudentia, in religiosa conversatione perfectionis studium, in dandis Coniliis mentis perspicacia, in moderandis aliorum moribus discretio, in propugnanda Religione prudens zelus. Hæc aliaque plura natureæ & gratiæ ornamenta tantum valuere in Concanonicorum suorum animis, ut ad supremam Collegii nostri dignitatem anno 1693, nono Februarii unanimi calculo elegerint. Electionem permodum provisionis confirmavit Roma; ac Neo-electus, petita 6. Octobris ab Episcopo Constantiensi subdelegatione, eaque obtenta, 22. Octobris a Rdm. DD. Ioanne Blau Vicario Generali Constant. vi sequentis Decreti Authoritate Apostolica in Possessionem Prælaturæ missus est.

Decretum Provisionis.

In causa Præposituræ Monasterii sancti Michaelis Archangeli Wengen nuncupati in Imperiali Oppido Ulmensi Ordinis sancti Augustini Canonicorum Regulæ pro tempore legitimo modo vacantis &c. Ego Joannes Blauer SS. Theologie Doctor Cathedralis Ecclesæ Constantiensis Canonicus Capitularis, & Collegiatæ ad S. Joannem ibidem Præpositus, Reverendissimi ac Celsissimi S. R. I. Principis Episcopi Constantiensis in Spiritualibus Vicarius Generalis, & Officialis primarius; ceu in præsenti negotio deputatus Executor Apostolicus. Inspecto rescripto Pontificio mihi in Originali, & authentica forma Bulla omni vitio ac suspicione carentis exhibito, habitaque desperatè diligentè inquisitione, & examinatione, decerno & pronuncio, omnia ejus contenta subsistere, ad providendum P. Augustinum Erath dicti Ordinis ac Monasterii expresse professum omnino dignum, habilem atque idoneum esse proindeque ut talem dicto Monasterio Wengensi in Præpositum seu Prælatum & Abbatem præficiendum fore & esse, prout illum (postquam Professionem Fidei Catholicæ in manibus meis emisit) Authoritate Apostolica, ac Pontificia mihi hac in parte commissa, præficio, constituo, eademque provideo, curam, Regimen ad administrationem dicti Monasterii tam in Spiritualibus, quam temporalibus una cum annexis omnibus ejus juribus, fructibus, ac pertinentiis ipsi plenarie committendo volentes eidem D. Proviso Apostolico de omnibus prout juris & consuetudinis est ex nunc plene ac integre responderi &c. Idque omne juxta tenorem supra memorati rescripti Apostolici atque in Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.

Publicatum Ulmæ in Monasterio
Wengensi die 3. Novemb. anno 1693.

Joannes Blau Canonicus & dele-
gatus Executor Apostolicus,
qui supra. (L.S.)

Con-

Confirmationis Apostolicæ executioni mox successit Abbatialis Benedic^{tio}, nam nonis Novembris , seu V, Novembris ac juxta Bullam Innocentii XII. Pontificis Maximi Mitram & Benedictionem Auctoritate Apostolica a Reverendissimi Illusterrimi Episcopi Constantiensis S. R. I. Principis Marquardi Rudolphi a Roth (quem appellare solebant *inter Doctores Principem, ac inter Principes Doctorem*) Suffraganeo Domino Domino Conrado Ferdinando Gaist, in Ecclesia nostra accepit assidentibus Reverendissimo S. R. I. Prælato Elchingano , ac DD. Joanne Prælato nostro resignato , quem reducem applaudenter debitum gratulationum vocibus Ultima Catholica , quæ ex hac Electione ac Benedictione non nisi optima sibi promisit.

§. II.

Maxima Augustini in Rempublicam utramque merita.

In honoris sui apice constitutus Præsul sese totum curis pro utilitate gregis sibi commissi impedit. Omnibus omnia factis , docuit verbis, præluxit Exemplis, *Ad Deum meum gentilitio suo scuto adscripsit, nec inanis fuit verborum istorum sensus, loquentis enim meta Deus, cogitantis votum Deus, & laborantis studium Deus fuit.* Hac enim, non alia mente grandia molitus est opera, quibus nomen iuum æternæ inscripsit posterorum memoriz, propterea apud summos & infimos semper magni Præsulis ornatus Encomio. In acceptis illi referimus totum ac integrum, quod a Religiosis nostris inhabitatur Collegium cum ædificio Prælaturæ, ac literariæ supellectilis structura: Wolmatshofensia, Creuzangeriana , & Vegeliana prædia œconomicæ ejusdem parsimonia debemus. Bibliotheca domestica ipsi non tantum ob dilata pomæria, ob libros in optimum ordinem redactos, sed & optimorum Scriptorum volumina multo ære comparata in suspensa liberalissimi Mecænatis effigie laudem nunquam intermorituram annunciat. Ut jura Collegii sui sarta tectaque conservaret, non tantum sudavit & alsit, sed in summis diaconeris maximis expensis a quorumcumque adversariorum machinis Rempublicam nostram liberam & immunem reddidit. Pro conservando Religionis Catholicæ libero exercitio multa expendit forenorum millia, non minas, non potentissimum Adversariorum persecutions, non vita pericula, non rei domesticæ damna, civium odia reveritus. Certe plurimam ipsi quietem & conservacionem avitæ fidei debent pauculi Catholici in urbe adhuc residui. Et hoc quidem Præsulis nostri Encomium ex ore Illusterrimi & Excellentissimi Domini Domini Caraccioli Sacrae Romanæ & Apostolicae Sedis in Helvetia Lucernæ Nuntii, Collegium nostrum invisere dignantis, exceperimus cum enim ille Sanctæ Sedis Legato obviam cum regulari Clero in templo procederet, salutatione nondum perfuncto Præsuli prior ille locutus dixit: multa de te jam audivi: tu es columna Fidei in in hac civitate. Plures ex Religiosis suis filiis in exteris Universitatibus magnis nutrivit sumptibus, aut Professores exteros, scientiis sublimioribus Illustres accersit, qui domi sua Theologica Doctrina illorum ingenia excoherent. Ad normam sacræ Regulæ effectus animarum Pastor ab omnibus magis amari, quam timeri voluit: disciplinam libens habuit, metuendus imposuit: consolabatur præsillanimes, corripuit inquietos: suscipiebat infirmos, patientemque sese exhibuit ad omnes, Oves moridas, ne contagione pestifera plures perderent, non sine rigore separavit, semper approbante cœlo piam hanc immisericordiam. Erga Crucifixum passumque in carne Numen tenerrimo ferebatur affectu. Testimonio esse potest Archiconfraternitas Sacrorum quinque Vulnerum a sede Apostolica confirmata, multisque Indulgentiis ditata, novo altari propterea excitato, quæ confraternitas anno 1709. erecta hostem invenit in larvato Innocentio Le Rouge Ulmensis scholæ Rectore, qui publico & virulentissimo scripto hanc pietatem est infectatus, cum tamen libellum hunc ipsem Inclytus urbis Magistratus supprimeret, etiam suas pariter vindicias modesto silentio suppressit prudens Præsul.

Marianæ devotionis uberrima vestigia reliquit in Sacello thavmaturgæ & dolorosa nostra Matris Deiparae Wolmatshofii. Hujus potentissimum apud Deum Patrocinium ut pro se suisque impetraret, variis pietatis artibus, nunc imaginibus ære expressis, nunc variis cantiunculis, nunc renovatione, dilatatione ac vario ornato conatus est efficere. Inter reliquias virtutes, quibus ornatus incedebat, erat perpetuum mortificationis studium, accedebat enim cum sancto suo cognomini Augustino, ad alimenta, quemadmodum ad medicamenta. Jejunii regularis ad ultimum usque senectutem adeo tenax fuit, ut, licet ab hocalios ad tempus absol-

Y y y y 2

veret

veret facile, illius tamen rigorem non adsuasum, sed rogatum Medici, fratribusque, quorum vel maxime Augustinum habere longevum intererat, enixas preces ægre mitigarit. Et sane admirabili ejusdem in cibo potaque temperantia diurnioris vitæ donum a Deo fuisse concessum, hydropico morbo bis correptus & ab aqua intercute inter necis vitæque confinia constitutus Medicorum opera præter opinionem non præter spem nostram pristinæ valetudini restitutus docuit. In desperatis. misse rebus desperavit nunquam: nunquam fratus succubuit: tanta in ipso fuit laborum tolerantia & patientia longanimitatis consortio firmata, ut saepe coram suis palam testaretur, spem & fiduciam suam, quam omnem in Deo posuerat, nunquam fuisse confusam.

§. III.

Tria vota S. Augustini ab Augustino nostro obtenta: Ejus honorum tituli. Assumptio Coadjutoris.

Tria præ reliquis Magnus Legislator noster S. Augustinus, ut fertur, videre optabat, Romam triumphantem, Paulum prædicantem, ac Christum in terris ambulantem. Optavit & hæc videre Augustinus Antistes noster, & suo modo vidit sane Romam triumphantem; dum Fidem Romano-Catholicam ea tandem tranquillitate ac pace gaudere vidit tam facile a possessione sua non deturbandam. Vedit Romanum triumphantem, dum plurimos Fidei nostra veritatibus victos, sua, suorumque ppera ad veram reverti Ecclesiar vidit. Vedit Romanam triumphantem, dum templi nostri fabricam, in qua Fides Romano-Catholicica colitur, omni pene, quæ ad sacrum Ecclesiæ ornatum spectare potest, supellectili a se auctam vidit. Vedit Paulum prædicantem, cum tam domi quam foris ex suis filiis ægregios Verbi Dei Praecones in Cathedra cerneret, quorum Apostolici labores pluribus Tomis in folio postmodem publici juris facti fuerunt. Vedit Paulum prædicantem, dum singularis Dominis, plerisque Sanctorum fætis diebus numero sum ex omni vicinia populum verbi Divini ex Ecclesiæ nostræ Cathedra proponendi auditionem hyemante quoque caelo cum liquidissimo cordis sui solatio confluere vidit. Vedit denique Christum in terris ambulantem, dum Eucharisticum Deum supplicationibus publicis Hierotheca pretiosissima, suis impenis procurata, conclusum inter frequentissimum populi confluxum inter ardentissima Catholicorum suspiria intra septa Canoniae nostræ vidit circumferri. Vedit Christum in terris ambulantem cum Comunicantium Numerum singulis fere annis ad tredecim aut plura millia (quod in civitate hac nostra cuivis mirum esse potest) vidit ascendere. Vedit Christum in terris ambulantem in tot depauperatis subditis, pupillis, viduis, recens ad Fidem conversis, aliisque personis miseris, nunc pro ope, nunc pro auxilio, nunc pro Consilio, nunc pro Eleemosyna foras suas pulsantibus, in quibus omnibus Christum veneratus & ad misericordiam promptissimus le vere Patrem pauperum exhibuit, & pro viribus Collegii nostri liberalissime succurrerit.

Spectabiles adeo in Prelato Ecclesiastico dotes remunerata est Aula Cæsarea Vienensis, quæ Augustinum proprio motu per diploma Cæsareum honorifico Consiliarii ac Sacellani hæreditati ornavit titulo. Paulopost pro Canonia sua ad etam illius instantiam obtinuit praxandi jus ac Privilegium. Anno 1710. ab Augustissimo gloriose memorie Imperatore Josepho Cæsare jam impetratis olim Protectionis Litteris per clementissimam renovationem novum accessit robur. Sed nec Roma tantis meritis debitam coronam denegare, sed Pontificiis favoribus ornare potius voluit. Antistes enim noster negotiorum magnitudine, & assidua mole pressus, ad extremam insuper ætatem deductus, cum de summi Numinis honore agi censeret, Coadjutorem perpetuum sibi ex Capituli consensu per viam Canonica Electionis a Romano Pontifice adjungendi licentiam perit, ac in remunerationem meritorum suorum etiam impetravit. Sors ista anno 1736. trigesimo Iulij cecidit super Reverendissimum Dominum Josephum cum jure, ut Augustino defuncto succederet.

Hoc tamen solatio Octogenarius jam senex diu frui haud potuit, altero enim mox mensé marasmo senili, nulla etiam peritissimorum Medicorum arte amplius eliminando, tentari, viribusque deficere cœpit. Morte in ergo jam stare in jaunis probe prævidens ab hac nihil territus convalesvit, ac ad Deum suum, ad Christum

num in carne, non ambularem in terris, sed in cælo regnantem revelata facie videndum iter æternitatis adivit intrepidus, per totum enim ægritudinis, sive potius infirmitatis suæ tempus cælo per sublimissimos virtutum actus jugiter affixus terrena nihil æslimans, æterna solum cogitavit, omni armatura fortium, Sacramentis scilicet morientium, se munens tandem diem extremum clausit inter filiorum Religiosorum suorum gemitus ac lachrymas decimo quarto Octobris anno post Christum natum 1736. ætatis suæ 80. Religionis 62. Sacerdotii 56. Regiminis 43, Præfui qui semper vivere, mori nunquam debuisset.

§. IV.

Augustini Labores Litterarii.

Post meritis Antistitis hujus fata minime silentio pretereundus est illius calamus. Nunquam tempus, a summis occupationibus reliquum voluit (quod facere jure suo poterat) quieti & cessationi concedere, neque aves imitatus est, quæ ab opere laboris defessa libere hoc illaque volitare cernuntur, sed placuit ipsi omnibus otii sui rationem constare. Cum adhuc Procuratoris Officio fungeretur fastum volumen conscripsit sub hoc titulo: *Acta Religionis Reverendissimo ac amplissimo Domino Domino Joanni Exemptæ Ecclesiæ Wengensis Ulmae Canonicorum Regularium S. Augustini Prælato Domino suo gratiose ipsa electionis die anni a Regimine decimi conscripta demississime offert 15. Maij 1692. humillimus cliens Augustinus Erath Canonicus Regularis Wengensis. M.S. servatur in Archivio.* Eodem anno donatus est Abbatiali Peo; quod tamen non ita ipsius implevit manu, ut calatum seponeret. Regiminis enim suæ tempore plures Polemicos Libros contra Fidei nostræ Adversarios conscripsit, quorum aliqui publicam aspexere lucem, plures adhuc manu scripti in manibus nostris hærent omnes acri ingenio, moderatione summa, præclara eruditione soliditate Theologica atque Augustiniano zelo elaborati.

Reversus ex Academia Dilingana studiosæ juventutis constitutus Instructor, ut teneros Discipulorum animos simul in Ascetica pietate, simul in arte condendorum versum erudiret, quatuor Venerabilis Thomæ Kempensis de imitatione Christi Libros pro Scholastico penso Elegiace vertendos tradidit, ac ipsem perpolivit, qui postmodum *Ulmae Sueorum typis Joannis Gassenmayerianis anno 1712. sunt editi sub titulo: Domini Augustini Erath Can. Reg. S. Aug. in Exempta Collegiata Ecclesia Wengensi Ulmae Thomæ a Kampis Can. Reg. S. Aug. de Imitatione Christi libri quatuor Elegiace redditi.* Addidit sub finem sequens Distichon:

Ad Lectorem.

Ne mirare leves versus, & carmina dura,

Nam Kempensis erat simplicitatis Erath.

Jam Abbatiali Peo ornatus edidit: Decem Epistolas polemicas ad amicum Augustinæ Confessionis de fundamento veræ Christianæ Religionis. In lingua germanica cum hac Inscriptione:

Sendschreiben zwischen einem Catholischen und Augspurgischen Confessions Verwandten von dem Grunde einer wahren Christlichen Religion. Permissu Superiorum. Gedruckt zu München bey Lucas Straub 1708. In forma duodecima.

Anno 1725. edidit Augustinum Romano-Catholicum Augustæ Vindelicorum apud Mathiam Wölf Typographum, quem vertit ex Idiomate latino in germanicum. Tomuli II. Inter Manuscripta Reverendissimi Augustini supersunt

1. *Vindictæ Epistolarum Polemistarum & Archi Confraternitatis SS. quinque Vulnorum contra Innocentium Le rouge.* In lingua vernacula.

2. *Clementina Ecclesiæ gallicanæ oder Bulla genannt Unigenitus Clementis Papæ XI. erleithet von einem Liebhaber der Warheit A.P. W. hoc est: Augustino Prælato Wengensi gegen Johann Frick S.T.P. hoc est: Summi Templi Praeconem in Ulm.*

3. *Refutatio Motivorum. oder Widerlegung deren Motiven, Melche Seine Hochfürstliche Durchleicht Moritz Wilhelm Herzogen zu Sachsenzeis &c. die vorhero angenommene Römisch Catholische Religion widerum zu verlassen, und die Lutherische anzunehmen bewegt haben sollen samt dem Responso auf die Frage, ob und wie die drey tolerirte Religionen.*

Tom. V. Cann Regg. Orig. Pars altera, Z z z z z

nen

ven in dem Reich vereinigt werden möchten. Contra M. Joannem Philippum Bernardum Jingling olim Catholicae Religionis Parochum.

4. Sol oriens post acceptas quasdam Illustrationes animae veram fidem querentis, seu der Sonnen Aufgang nach einigen einleuchtungen einer den wahren Glauben suchenden Seele:

5. Antifrejenius sive unverantwortliche Beantwortung oder Widerlegung per Joann Philipp Fresenii Pastoris zu Niderwiesen wider des Herrn Nicolai Weislingers friss Vogel oder stirb. welcher mit vilen lästerungen und Schmachworten in öffentlichen Truck herausgegeben. Nun aber von einem seiner gueten Freunden untersucht und grundlos erfunden worden.

6. Causæ impulsivæ cur nonnemo ex Ulmensibus Catholicam fidem sit amplectatus? sive Ursachen warum jemand in Ulm nicht ontlängst seye Catholicisch worden?

Plura alia reliquit iadefessus doctissimi Praefulis calamus, quæ tamen affecta tantum sunt, non perfecta.

§. V.

Benefactores insigniores.

Post recensitos a Reverendissimo Augustino Libros alium nunc Librum inspicimus oportet, Librum scilicet, in quo adnotata sunt Benefactorum nostrorum Nomina, quorum liberalitate maximos illius labores, ac zelum vere Augustinianum remunerabatur cælum, quorum breviter Nomina secundum annorum numerum, quibus ad benefaciendum Collegio nostro illos excitavit Deus, hic scribimus. Sunt autem inter Perillustres Ulmenses Patrios

Dominus Joannes Christophorus Kraft, qui una cum Prænobili Matre sua multis ornamentis ac collatis in Ecclesiam nostram pro pietate sua sese munificum ostendit.

Christianus Mellingerus Consul Ehinganus liberalem pariter sese exhibuit in Primitiis Filii sui Domini sui Antonii Mellingeri Concanonici nostri.

Perillustris ac Generosus Dominus Constantinus Eucharius L.B. ab Ulm cum Perillustri Conjugé sua inter Benefactores insigniores merito numerati sunt, quia Primus Eucharius erat, qui ad reluendum prædium nostrum in Erbach, cuius Possessor erat, consensum præstít anno 1694.

Reverendus Dominus Franciscus Morsack Ecclesiæ Cathedralis Augustana Vicarius varlis Monasterium nostrum picturis, S. Michaelis, S. Josephi, S. Augustini, Christi a Pilato Populo monstrati propria artifice manu depictis condecoravit.

Anno 1694. eodem anno Persona soli Deo nota obtulit pretiosa duo Cymelia unum Beatissimæ Virgini, alterum S. Annæ ejusdem Matri.

Admodum Reverendus Dominus Christophorus Scleker Patrochus in Griesingen & Venerabilis Capituli Ehingani Camerarius ad exstructionem summi altaris contulit 300. fl. anno 1695. anno 1704. vi testamenti legavit Collegio nostro 500. florinos, specialis, quoad vixerat, Reverendissimi Praefulis nostri Cultor ac summe semper erga Collegium nostrum affectus.

Perillustris Domina Elisabetha Ehingerana, nata Baronissa de Halden uxor Francisci Antonii Ehingeri anno 1697. Statuas Beatissimæ Virginis & S. Annæ pretiosissime vestivit.

Prænobilis ac strenuus Dominus Bernardus Seitz, Collegii nostri olim Secretarius postmodum autem Imperialis ac Regii Monasterii Salemitani Cancellarius, magni pretii togam pari pietate Beatissimæ Virgini obtulit anno 1697. quæ furto fuit sublata & ab ipsa imagine absissa anno 1704. vir alias de loco nostro præter alia officii munera, ob indefessum in conservandis juribus Monasterii, spondis Discordiis cum civitate & obtenta in dicasteriis Oenipontanis in causa Erbacensi, & Welleriana aliisque magni momenti causis sententia favoribili, studium optime meritus. Ex cujus fundatione liberali etiam sub quotidiano majori Officio decantari solet ad Elevationem nota Eucharistica Ode:

Ave verum corpus natum
De Maria Virgine,

Vere

Vere passum, immolatum
in Cruce pro homine;
Cujus latus perforatum
fluxit unda & sanguine?
Esto nobis prægustatum
Mortis in examine!
O Jesu! O Jesu pie!
O Jesu, Fili Mariae,
Tu nobis miserere!

Anniversariorum insuper habet pro se totaque sua Nobili Familia fundatum. Cujus proin manibus illud honoris adscribi debet, quod Benedictio Domini descendenter super eum in filiis suis numerosis, ceu Novellis olivarum, suo tempore implantatis floridissimis diversi Ordinis Asceteriis, e quibus singulari gratitudinis memoria dignissimum censeo A.R.D. Stephanum Seitz, Imp. Collegii Wettenhafani Canonicum, iterato Decani Officio insignitum, ut huic operi meæ recollectionis Scriptorum inseram, eo, quod Tomi V. duplicem Partem duplicato opero & dilucido Indice illustraverit, inter Scriptores domesticos suo loco jam semel annotatus, noviter notandus præclaris Concionum operibus, uno corona Marianæ honoris, & altero Sermones de diversis tunc aliis Festivitatibus nuncupato typis ac sumptibus Mathæi Rieger Augustæ Vindelicorum emanatis. Prænobilis Dominus Josephus Antonius Kraft Patritius Ullensis pro sua in Passionis Dominiæ dulcissima Mysteria, pietate anno 1723. ad altare sanctorum quinque Vulnerum Lychnechum penilem argento conflatum, ac quinque brachiis ornatum liberalissime obtulit, qui constabat 129. florenis, cujus etiam Prænobilis Domina uxor pro remedio animæ suæ Collegio nostro legavit 400. florenos.

Eodem anno Balthasarus Mayer Wiblinganæ domus Ulmae Curator ac Custos pro Sacris legavit 100. florenos, 600. autem florenis Archiconfraternitatem SS. quinque Vulnerum Jesu Christi pro conficiendis novo Confraternitatis Vexillo argenteaque Lampade majore libraru[m] fere tredecim locupletavit.

Inter præcipuas Benefactrices etiam habuit maximo cum solatio Prænobilem Dominam Mariam Theresiam Bicklin de Erathsberg sororem propriam una cum Prænobili Domino suo Marito Simone Bickhel ab Erathsberg Celeberrimi S. R. I. Monasterii Ottoburani Consiliario, qui 1711. Novembris die 20. fundavit quatuor Missas pro defunctis prout erant in mente Fundatoris. Ex pia liberalitate autem Mariæ Theresiae per plures annos viduæ bonorum operum studio Juxta Divi Pauli præscriptum deditissimæ, ac animo ultra muliebris sexus conditionem verè excelsa ac masculo prædicta maxima & multa bona in Collegium nostrum profluxerunt. Statuas B. Virginis ac S. Annæ prædicto vestitu induit, geminas argenteas Lampades ad illarum aras suspendit. Argenteum Thuribulum, argenteos insuper urceolos una cum patena deauratas in secundis Reverendissimi sui Fratris Primatis dono obtulit. Pretiosissima præterea Casula sacram Ecclesie supellecilem diuinem reddidit. Fundavit perpetuum pro se suaque familia solennius Anniversarium, censumque perpetuum quindecim florenorum, cum hac conditione ut singulis Collegi nostri Canonicis circa Festum S. Nicolai ad intentionem suam Sacrum dicentibus solveretur in remunerationem florenus ad depositum.

Matris pietatem etiam imitata est Prænobilis ejudem Filia Domina Maria Joanna Mechtildis Domini Norberti de Marienfeld Collegii nostri Consiliarii, ac temporalium Jurium Præfeci conjux lectissima, hujus cum consensu ante mortem in remedium animæ suæ legavit 200. florenos, quæ una cum Matre sepulta jacet in communia crypta Ecclesie nostræ, Mater quidem anno 1743. 11. Februarii ætatis suæ 83. Beatam mortem invenerit, filia vero anno 1735. ætatis suæ 35. præmaturo fato lugenti Marito erepta est, utriusque autem Nomina maiusculis litteris meruere inscribi Benefactorum Catalogo, jam dudum inscripta a Deo libro viventium.

Reliqua Nomina nostrorum sub Clarissimo Abate Augustino Benefactorum ac Benefactricum reperire est ab anno 1693. ad an. 1736. in Historiæ illius Preliminarij §. III. proxime ante IV. quibus Deus, Bonorum omnium Largitor ac Retributor, benedicat in æternum.

§. VI.

Memoria aliquot Canonicorum Filiorum Augustini.

Sub laudatissimo quadraginta annorum Regimine plures ex suis filiis in gnes viros per mortem amisi. Scilicet Reverendum Dominum Ambrosium Dorner, olim Collegii nostri Canonicum, ac tandem in Reichenbergensi Canonia Decanum, Reverendum Dominum Josephum Hamer, Reverendum Dominum Antonium Mellinger, Adm. Revdum Eusebium Schleicher multis annis Collegii nostri Decanum meritissimum, aliosque, ex quibus, nimium prolixus sim tres tantum feligo.

Primus hos inter est Reverendus D. Benno Neumayr. Patriam habuit Augustam Vindelicorum, ac in hac sua Parentes per honestae Conditionis. Natus anno 1637. reliquo seculari habitu, canonicam vestem induit, ac votis religiosis se Deo devovit anno 1548. Sacerdos factus, dignis Sacerdote moribus per totum vitæ suæ ousum ornatus incessit. Publica in Capitulo suspensa tabula paucis hisce verbis: olim Cellarius, Custos, Novitiorum Magister, & Confessarius laudatissimus satis prolixum illius Elogium continet. Adeo virtutes illius etiam exterorum perstrinxere oculos, ut a celstissimo S. R. I. Principe & Episcopo Constantiensi a Collegio nostro ardenter expeditus, ac illius auctoritate constitutus fuerit in Decanum Waldseensem. Ibidem tamen Insularum Wengensium dulcedine identidem tentatus, post tempus non adeo longum ad Festa Reverendissimi Praefulsi sui Augustini Natalitia Vlham veniens nullis amplius precibus persuaderi potuit, ut Waldseam rediret, acquiescente tandem ipsomet Celsissimo ac Reverendissimo Constantiensi Episcopo. Vitam mortalem deseruit anno 1703. 27. Octobris ætatis sue 66. Ex Italico Idiomate in germanicum transtulit Tractatum Asceticum Reverendi P. Segneri. Edidit Instructionem Catecheticam pro parvulis. Mole quidem exigua utilitate tamen magnam.

Secundus dignus memoria, ac cum laude recensendus hic venit Reverendus D. Michael Plettreitter-Bazenhofensis, Collegii nostri Canonicus, qui Professionem Religiosam emisit anno 1693. Dilingam a Superioribus missus Theologicis scientiis egregie excultus post biennium revocatus, ac in Presbyterum ordinatus fuit anno 1697. Litteras humaniores studiosam juventutem multo cum fructu, ac hilaritate (in Musas enim elegantiores mirum in modum pronus fuit) docuit. Munus Cellarii ac majoris Oeconomi fideliter obivit per annos aliquot, nec minori zelo demandatam sibi animarum curam administravit, Parochia Vicarium agens. In causa litigiosa Collegii Wezlarum missus magna dexteritate, ac sedulitate Partes nostras egit, hoc a Reverendissimo Augustino honoratus Elogio, tanto fervore pro bono Collegii illum laborasse, ut, si per vires illius stetisset, Wengam ex lateritia fecisset auream. Anno 1719. in Decanum electus praefuisse ultra annum ac prodesse haud potuit, morbo omnibus Medicis incognito, dejectus est in tumulum 1720. ætatis sue 47. 30. Aprilis. Scripsit Libellum Archiconfraternitatis nostræ SS. quinque vulnerum, sapidis Meditationibus ac Orationibus plenum. cuius Titulus:

Gebett und Bruderschaft Büchlein der H. funf Wunden Jesu Christi des lóblichen und exempten Gotteshaus der Regulirten Chor Herrn S. Augustini zu den Wengen, in der H. Röm. Reichsstadt Ulm von einem Religiosen allda zusammen getragen Anno 1710. Augspurg, druckts, Abraham Gugger.

Tertio tandem minime silentio prætereundus est Reverendus Dominus Casparus Schollerberger Höchstädtii anno 1673. honestis Natalibus ortus. Augusta Vindelicorum in celeberrimo S. Udalrici Monasterio a puero musicum adjuvit Chorum & humanioribus litteris operam dedit per quingenium, reliqua Augusta Ultimæ in Incliti Ordinis Teutonici Commanda per aliquot menses Chorum rexit, quibus elapsis cum Reverendissimus Praeful Augustinus adverteret adolescentis animum optimis talentis præditum, primo ad cubicularii Officium, ac paulo post ad Religiosam Professionem in Universitate Dilingana post haustas domi Philosophicas doctrinas cum Theologis divina speculatus est tanta cum laude, ut reversus domum, ac in Sacerdotem promotus non semel cum honore & Philosophicam & Theologicam Cathedram ex Superiorum Imperio concenderit.

Pro-

Professor Philosophiae scripsit: *Controversiam Philosophicam de Ente negativo eventilandam in publica disputatione Mense Martio anno 1705.*

Supereft adhuc M. S. in Folio, quam Professor Theologiae scripsit: *Disputatio de Sacramentis cum resolutione XXXIII. Cauum in particulari propositionum ex Principiis Theologico Moralibus deduclam, variisque Authoritatibus firmatam.*

Dedicavit disputationem hanc in filialis obsequentiæ symbolum Reverendissimo DD. Praefuli suo, Extat pariter M. S. in Folio.

Excellens Musices Magister ac Chori Praefectus composuit plura opera: Missas scilicet, Offertoria, Vespertas &c. modulis harmonicis animatus typi beneficio ad honorem Dei ac Sanctorum communicavit publico, auresque musices amantum suo ævo demulxit. Inter præcipua autem musica illius opera sunt *Antiphonarium & graduale pro usu Chori Wengensis illius propria manu ac eleganti charactere, ac Ordine conscripta, quibus cantum Gregorianum accommodavit Organo, eo artificio, ut ab omnibus in arte peritis summum applausum ad hunc diem retulerit, referatque.*

Anno 1713. per Electricem in Collegii nostri Decanum assumptus Insigni Prudentia maturitare, ac discretione se omnibus commendavit, secum ipso autem nunquam contentus post sexennium sponte ac libere honoris Officio sese abdicavit, subesse potius, quam præesse volens aliis, Pater spirituallis, ac Ordinarius Conventus Confessarius constitutus, pœnitentes sacris suis consiliis, ac spiritualibus remedii per plures annos consolatus est. Asthmate inter aspirationes ad Deum & morientium Matrem piissimas magno confratrum ac spiritualium filiorum suorum luctu suffocatus est anno 1735. 31. Augsti.



PERIODUS III.

C A P U T VIII.

Josephus Prælatus inter Abbates Infulatos IV.

§. I.

Josephi Abbatis Elogia ex rotula ad Confœderatos.

Josephus Braunmüller, Weissenhornii, quod oppidum Sueviæ est, Ditionis Austriacæ anterioris quarta Julii anno 1681, vivere cœpit. Anno 1736. in Co-adjutorem perpetuum Reverendissimi D. Augustini communibus eligentium calculis electus, ac Auctoritate Clementis XII. confirmatus jus ad Infulam eretto sibi maturius adjuto adeptus est hoc ipso anno. Verum præter voluntatem ac intentionem Reverendissimi ac Celsissimi Principis & Episcopi Constantiensis variis machinis a munere Benedictionis Auctoritate Apostolica conferendæ ultra annum integrum retardatus fuit a quadam homine præter omne jus & æquum Insulis nostris veheinter adverso. Justitia tandem exigente ipsa Roma invenit medium & pro impertienda Benedictione Reverendissimum ac Illustrissimum Constantiensis Episcopi Suffraganeum, D. Joannem Franciscum Antonium L. B. de Sirgerstein Utinensem Episcopum elegit, qui etiam mora nulla interposita consuetis apud exemptos Ceremoniis, exceptoque Summo Pontifici fidelitatis juramento Josephum nostrum Abbatiali Infula in Wengensi nostra Ecclesia sub maximo Vlmensium, ac vicinioris populi concursu Apostolica exornavit. Ne quid affectui, aut cognato sanguini tribuere videar (fuit enim Reverendissimus hic Praeful avunculus meus) non alias illi laudes hic pango, quam quas litteræ Encyclicæ, quibus mors illius anno 1754. Reverendis ac colendissimis Dominis nostris Confœderatis denuntiata fuit, continent. Sic autem habent præfatae Encyclicæ, quæ non ex meo, sed alterius calamo prodierunt. Ex Capituli nostri tunc Secretarii ac Theologiae Professoris videlicet.

Dicite Insulis: Salvator noster adveniet.

Ecclesia in Off. Dom. I, Adventus.

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera. A a a a a a

Ia

In illa die, in qua redimendo Orbi terrarum stillare cœperunt montes dulcedinem (Off. ad laud.) copiosa Insulis nostris amaritudo stillavit. Simpliciter doiores nostros eloquimur, quoniam nuntiandum de eo, qui quamdiu vixit, divinum Elogium meruit: *Erat vir simplex & rectus ac timens Dominum Deum, & recedens a malo Job. 1.1.* Josephus (Nomen augmenti hactenus gaudii, nunc doloris) Josephus Reverendissimus atque amantissimus Pater & Abbas noster ipsa sub initia Adventus Domini, vinculis carnis solitus migravit ad Dominum Weissenhornum in Oppido Sueviae 4ta Julij Anno 1681. vivere cœpit; Kalendis Decembribus 1754. paulo ante secundam nocturnam desit mori. Ex piis honestisque Parentibus corpus habile, ex Deo animam sortitus est bonam, tenacem recti, duplicitati inimicam, sinceritati, sine qua conversatio humana semper est insidiosa, non factam sed natam. Rudimenta pietatis & litterarum inferiorum, apud regulares Memminganos de Roma in Saxia hausta, Augustæ vindelicorum ita excoluit, ut deinceps utriusque fuerit insignis Magister. Sacrae Professionis habitum Canonicum & cum eo Nomen præsigum adeptus Anno 1703. se Josephum perpetuo meminit. Certe Incrementa Divini honoris, propriæ, alienaque salutis meditandi sectandique finem non prius, quam vivendi fecit. Postabsoluta severiora partim apud nos, partim in Academia Dilingana studia Anno 1707. Sacerdos creatus, jam e Cathedra & in Tribunali sacro inter principes loquebatur sapientiam, jam rebus oeconomis præpositus, per annos septem gubernabat creditam sibi domum, Nutritius fratum, velut ante per annos 20. & rursum per septem alios Instructor & Magister juventutis scholastica admirabili fide, pietate, constantia; donec III. Kal. Augusti Anno 1736. ei dictum: *Tueris super domum meam, & ad tui oris Imperium cunctus populus obediens.* Genes. 41. 41.

Tum vero primum ominis ex nomine suo virum pœnituit. Quippe Coadjutoris perpetui & paulo post Abbatis munere se auëtum flevit. Seminare in lachrymis cœpit, quod nos, quod alii messuimus cum exultatione Psal. 125. Neque enim Josephus, dum præfuit nobis, nisi annos fertilitatis habuit. Collegio nostro sic acquisivit, ut vitam ad regularem disciplinam exactam, doctrinam sanam, Pacem, concordiam, humilitatem, virtutum ornamenta cætera in asse ipso, non inter bona adventitia, collocaret; honore nobis Prælatus, timore coram Deo substratus pedibus nostris, tam semper acceptus subditis, quam nunquam acceptor personarum: zelum habens secundum scientiam (Rom. 10. 2.) delicta exemplo potius, quam verbo correxit. Instantis & arguentis increpatio etiam gravior, fere obsecratio videri potuit; 2. Tim. 4. 2. neque se alio charactere a sui Ordinis hominibus magis, quam discretione discrevit. Talis Josephus nobis; qualis vero sibi, Deo, Divis?

Aliis paterna sollicitudine profusus sui, parcus erat sibi. Quam dolorosa ipsi calamitas aliena, tam parum dolebat suam. Quam magna omnes humanitate, tam parum humaniter se habuit ipsum, cibi minimi ac semper vulgaris, vigilante ac sollicitudinis continua; senilis prudentia, curæ vero profectus in spiritu semper recentis. Plenus erat Deo, quia plene amabat Deum. In lege potius fuit, quam sub lege Dei (cum Divis Ambroso Anselmo & Thoma loquimur) legem cum Justis habens mentis suæ, æquitatis & justitiae normam, & ipse lex sibi Amb. I. 3. off. c. 5. S. Anselm. in 1. ad Corinth. S. Thom. in eund. loc. Ecclesia Collegii, de tracto senio reparata atque ad nitorem hodierni moris magno ære revocata, Josephum fabrum probat Deo operantem Divisque; altorem Verbi ornatus liturgicus solennis idemque pretiosis emptus; insignis in Matrem Dolorosam devotione, multis, optimisque Exemplis comprobata, Sponsum Virginis; Filium David quotidiani ad Deum pro remissione peccatorum gemitus acfletus; generum Sacerdotis Heliopoleos (Gen. 41. 45.) præclara pro re divina, pro cultu Eucharistico, pro Cleri Regularis juxta ac sæcularis hospitalitate sollicitudo; Filium Jacob, ex nervo manus sinistræ, sinistro casu an. 1749. graviter tacto, major per ultimum vitæ quinquennium fortitudo, postremo iterum iterumque Josephum Josephum fuisse confirmant, ipsa sterilitatis seu ægrotationis quinquennalis tempora, utque sibi effecit meritorum fertiliora. Hic Josephus noster horrea aperire universa (Genes. 41. 56.) virtutum, invictæ patientiæ, resignationis solidæ, longanimitatis heroicæ, hic omnem tesserae, quam sibi elegerat, explere significatum: Augent adversa decorem; tam decenter, tam decore, tam ad exemplum doluit longum perque acerbum dolorem suum.

Donec

Donec tandem biduo ante obitum paralyti infimi gradus, multaque Symptomatum vicissitudine resoluta membra vigor omnis destituit, nobisque audire visi sumus: dicitur *Insulis*, quia Salvator noster adveniet, loc. cit. cuius quidem adventum tam exspectavit intrepide, velut qui sciret, non judicem venturum, sed remuneratorem. Ultimos inter languores fatiscentis cor exultare visum, quoties Mariano ex planctu per intervalla recitabantur sententiæ. Litanias de Sanctissimo Nominis Jesu præanti respondit manifeste collecto, quam virilum reliquæ sinebant, consueti ardoris religiosi impetu, ut acclamare moribundo licuerit: *O nimis felix, nimis O beatus, cuius extremam vigiles ad horam Christus & Virgo simul astiterunt ore sereno.* Off. S. Joseph ad laud. omnibus morientium Sacramentis indulgentiisque rite præmuniti atque expiati vox sensibilis ultima fuit: *O dulcis Virgo Maria!* itaque placide vita mors placidissima & vere mors dulcis respondit. Evidet autem, si Pater & caput nostrum suavissimum eo pervenit, ubi omnia sunt amara valde?

Fuit Josepho nostro, quoad vixit, sius Ephraim: *Crescere enim Deus illum fecit in terra paupertatis suæ,* Genes. 41. 52. utrum autem Manassen Ephraimo idem jam copularit & viventium in terram omnino traductum Patrem nostrum amantis- simum *oblivisci penitus fecerit omnium laborum suorum.* loc. cit. v. 51. quis prorsus novit? quam optime speramus de optimo; simpliciter præsumere non licet. In cuncta terra Ægypti, ineuntibus annonaë angustiis, panis, tandem famæ fuit, quæ omnes oppresit loc. cit. v. 54. & 56.

Numquis facile mortalium est, qui operum laudabilem frumenta aut satis multa, aut satis pura colligit illa sterili pro nocte, in qua nemo potest operari? Joan. 9.

Ad vos itaque DD. Confœderati, clamamus, religiosi pacti fiducia: Altari nostro alimenta petimus. Ex vestræ sufficientiæ horreo frumentum electum prope rate, quod malum inopia temperet (Genes. 1. c. v. 57,) & quem tritico Josephino fortassis admisit humanæ infirmitatis palea, defectum suppleat. Vobis autem, DD. Confœderati salva perseverabit fiducia non minoris ex *Insulis* nostris auxilio, quo ut diu carere vobis per supremum vitæ necisque arbitrum liceat, sincere pre- camur, benevolentia vestræ, amicitiaque religiosæ plurimum nos commendan- tes

Ex Canonio Wengensi exempta
Ulmæ Suevorum 4. Decembris 1754.

§. II.

Actorum Josephi Supplementum.

Nemo, ut quidem credo, ægre mihi feret modicum ac moderatum Reverendissimi Josephi Actorum spicilegium, quorum commoda in præcedentibus Encyclicis non potuit fieri mentio.

Præter multa florenorum millia, quos in renovationem & exornationem Wengensis Ecclesiæ expensa, magnam etiam pecuniarum Summam impedit in adficia civilia. Horrea conservationi decimarum destinata duo funditus erexit, primum Ballendorfii alterum Börslinge, reliqua vero fere omnia forinsecus in agro Ulmensi sita pretiosa reparatione restauravit. Ex prædiis Creuzangerianis pariter unum de novo sumptuose exstruxit. Domestica etiam aliqua ædifica pro majori commoditate ac utilitate rei Oeconomicæ dilatavit. Verum a civilibus iterum ad religiosa & sacra faciamus gressum.

Non partem minimam Josephinæ laudis effluit ædificatio Sacelli Erbacensis Beatissimæ Virginis. Sumptibus bis mille florenos excedentibus ex voto cum consensu Capituli a fundamentis erexit atque SS. Patronorum Imaginibus in recenti albario coloribus aqua dilutis ad artis regulas, depictis fecit exornari. Adnotari hic præprimis meretur Altare vetus pro majori elegantia structuræ Sacelli consuetis machinis suo loco nonnihil fuisse motum, ea dexteritate tamen fabri murarii, ut lapide ac sepulchro minime violato hæc amotio facta sit in præsentia ad faciendam fidem rogatorum testium A.R. & eximii Domini Josephi Pfeffle Sacrosanctæ Theologiae Licentiatu ac Parochi Erbacensis dignissimi, ejusque Domini Cooperatoris.

In hoc Saceello singulis septimanis legitur Sacrum pro felicitate Augustissimæ Domus Austriacæ, quam obligationem in perpetuum gratitudinis monumentum, post recuperata denuo Erbacensia bona tempore Exilii ab illustribus Baumgartneris

A a a a a a 2

absque

absque cnsensu Reverendissimi Ambrosii Antistitis, ejusque Capituli empta, Antecessores nostri in se suscepserunt.

Cum autem nemo juxta antiquam veterum parvem liberalis in Superos patiatur inopiam; liberalitatem Superum etiam expertus est Reverendissimus Praeful Josephus. Cum enim reparacione Ecclesiae nostrae occuparetur: Reverendissimi ac Serenissimi S. R. I. Principis & Episcopi Augustani D.D. Josephi &c. &c. expertus munificentiam, qui ad structuram novae Cathedrae in Ecclesia nostra 300. florenorum Summam gratiosissime ex pietate Principe digna anno 1744. anno sequente centum florenos pari pietate ac intentione dono transmisit Reverendissimus ac Celsissimus Princeps ac Abbas Campidonensis cuius religiosam liberalitatem piissime amulata est Serenissima Domus Badensis Catholica. Ex Cassa communis laudatissimi circuli Suevici ad novam reparacionem Ecclesiae pariter ex consensu & pia beneficentia praestantissimorum Statuum oblati sunt 300. floreni quorum insignem liberalitatem omnium bonorum retributor rependat Deus. Fundatis anniversariis sub felici Josephi Regimine tria nova accesserunt. Primo quidem anniversarium honestae virginis Mariæ Franciscæ Gaiserin. Secundo Anniversarium Haimdianum. Tertio anniversarium Prænobilis Dominæ Videlæ Mariæ Theresiae Bicklin ab Erathsberg. His adnumeranda merito est fundatio censum ex perpetuo Capitali 3000. quoad partem pro sublevamine pauperum A. R. D. Bartholomæi Ried Sacellani in Delmeningen, qui pariter in testamento suo Collegio nostro legavit 300. florenos inter insignes Benefactores merito numerandus.

§. III.

Memoria Confratrum sub Reverendissimo Josepho decedentium,

Sex ex numero Confratrum fuere, qui sub Regimine Josephi ad æternitatem felicem uti pie speramus, transferunt, ut illi viam præpararent, ac præirent in cælum, horum nomina sunt.

1. R. D. Carolus Roth Sacerdos Canonicus hujus loci ætatis suæ 57. Nono Julij 1742. Instructio Musices industrius.

2. R. D. Ambrosius Chardon Senior noster Professione & Sacerdotio Jubilæus ætatis suæ 74. 19. Maij 1749. Confessarius infatigabilis.

3. R. D. Jacobus Bausch Canonicus, & per multos annos Infirmarius noster ætatis suæ 70. 21. Maij 1750. charitate plenus.

4. R. D. Joannes Georgius Bals Canonicus & Celsarius noster ætatis suæ 68. 9. Julij 1751. in labore manuali & hortensi cultu exercitatissimus.

5. R. D. Dominicus Rischart Canonicus noster & per plures annos Concionator populo & auditorio acceptissimus. 26. Octobris 1753.

6. R. D. Sebastianus Baader Senior noster, & Subdecanus, Professione & Sacerdotio Jubilæus. 4. Maij 1755. optime meritus.

Liceat postremi hujus Confratris ampliorum nonnihil memoriam facere. Patria illi fuit Weissenhornum, Oppidum Anstriaco-Suevicum. Annos vitæ inchoavit anno 1680. Religionem Canonicoo-Augustinianam anno 1699. professus est, anno 1705. aris fuit admotus ac varia administravit Officia, præfuit scholæ, Bibliothecæ, Cellævinariæ, Culinarie, horreis, rei domesticæ, Parochiæ, Novitiis, Cathedrae in omnibus semper sibi similis, Collegio utilis, in laboribus sedulus, in scribendo indefessus, erga pauperes misericors, benignus in Confrates ac in curam animarum vigilansissimus. Ex suo deposito Bibliothecam nostram nova quasi Bibliotheca adauxit, aram novam in Ecclesia divo suo cognomini cum consensu Superiorum erexit. Jam Senio gravis Subdecani ornatus fuit titulo ob meritorum suorum cumulum in cælo vero æternum accepit præmium, quo anno 1755. Professione & Sacerdotio Jubilæus apoplexia tactus quarta Maij nobis insciis abiit, ubi nunc labores manuum suarum beatus manducabit & bene illi erit Psal. 125. v. 2. sequentes Librorum ab ipso conscriptorum Catalogus labores manuum suarum recenset.

Sebastiani Baader der spanische Prediger auf Teutscher Cantzel, das ist Predigen auf alle Sonn- und Feyrtag, erster Iahrgang. fol. Augsp. 1744.

Eiusdem Zweyter Iahrgang. fol. Augsp. 1744. H. III.

Eiusdem vierfaches Dominical in 2. Theil. fol. Augsp. 1746.

Eiusdem drittes Festival samt einen anhang fol. Augsp. 1746.

Eiusdem Baader Possonale per figuræ veteris Testamenti auf i. Jahr. fol.

Eius.

Eiusdem sibendes Dominical. Augsp. 1747.

Eiusdem achtes Dominical, und Festival.

Eiusdem. Anhang von den 9. fremden Sünden auf die Sonntag post Pentecosten
Fol. Augspurg 1726.

Silento non prætereunda sunt duo minora Baaderi opuscula.

Primum: Nothwendige Glaubens Fragen der zarten Catholischen Jugend in
dem lóblichen Gotteshaus Wengen in Ullm. Quod opusculum saepius fuit recusum.

Secundum: Helleuchtandes Liech von dem heiligen Abendmal und allerheil-
ligsten Sacrament des Altars. In forma duodecima minori, contra quod opuscu-
lum scripsit Joannes Elias Frickius Pastor majoris Basilice Ullmensis, cui vindicias
opposuit Baaderus noster sequenti sub inscriptione: Einmal für allemahl helleuch-
tendes Licht der Catholischen Kirchen vom heiligen Abendmahl wider Eliam Frick
Prediger im Münster 4. Augspurg 1726.

Atque isthoc in viro mea nunc definit de exempto Wengensi Collegio nostro
informatio, ut opinor, non absque suavi opportunitate. Nam & ipse meus Reli-
gioxi tyronis indigni Informator fuit & Magister omnino Apostolicus, cui bene
sit cum omnibus, qui nos æternitatis iter carpentes præcesserunt (nostrum cuique
carpendum serius, citius) in Sæcula Sæculorum.

APPENDIX.

Josepho Præposito successit Michael III. Patria Weissenhornensis, Kuen paterno
stemmate dictus. Inter Præpositos Wengenses XXXV. inter Insulatos V. inter
meritissimos nulli secundus, Vir sane illustris. Hic ex Decano Præpositus Cano-
nico electus 2. die Decembris anno 1754. vita ejusdem laudatissimæ Epitome
ac Regiminis glorioxi Periodus aliud distinctum ab isthoc opere, & quidem integrum
merentur volumen, qui plures doctissimos diversæ scientiæ libros ac libellos scrip-
tit, ac typis publicis evulgavit, præprimis in perficiendo & evulgando Opere post-
humo Francisci Petri Wettenhusani Germaniæ Canonico-Augustinianæ summe in-
dustrius, proin vel maxime de Canonicis Regularibus S. Augustini optime meri-
tus, ac æterna memoria dignissimus Præsul. Unde justissime post præfatinatum
Eius obitum, qui 10. Mensis Januarij anno 1765. dolenter accidit, Michaeli III.
Rmo Patri suo parentarunt Filii, Con-Canonici Wengenses, amplissimo, quod
ad DD. Confœderatos ablegarunt, Elogio, sequenti tenore expressio:

Vidimus -- Stellam. *Luc. c. 2. v. 2.*

Rege, qui ex Oriente ad Stabulum venerunt, et quorum Festos Dies modo
celebramus, inter cætera viarum iocomoda haud tristiorum, credo, ha-
buere calamitatem, quam quæ amissæ Stellæ fuit. Doloris magnitudinem
ex supervenienti postmodum gaudio conjecturare licet, quod sacrae paginæ hisce
verbis emphaticis exprimunt: *Videntes autem Stellam gauisi sunt gaudio magno valde,*
Luc. c. 2. v. 10.

Eadem nobis hodie dolendi materies est, colendissimi DD. Confœderati: ami-
simus stellam, heu, quam præclaram, quam pellucidam: amissimus (flens dico)
Reverendissimum, perillustrem ac Amplissimum DD. Michaelem III. exemptæ no-
stræ Canoniciæ ad Insulas Wengenses Præpositum, & Abbatem Lateranensem, Sac-
Cæl. & Apost. Majest. Consiliarium, & Capellanum perpetuum &c. &c. quæ ja-
ctura, & quam dissimilis illi Magorum! His stellam amiserunt, sed amissam rur-
sus invenerunt: At nos amissimus stellam, nunquam deinceps apparituram.

Sentimus dolorem, quem verbis explicare non possumus. Novimus pretium
amissi sideris, quod calamo describere non sufficimus.

Netamen puerorum, mulierumve adinstar vociferari videamur, en doloris
nostræ rationes, quas tremens describit penna.

Lucem primam aspergit Michael, aut potius primo lucere cœpit stella nostra
Weissenhornii, Anterioris Austriae oppido anno 1709. die 9. Februarii Ortus ex
parentibus piissimis atque honestissimis Anna Braumüllerin Matre & Jacobo Kuen
Patre: en!

Tom. V. Cann. Rgg. Orig. Pars altera.

B b b b b b

Stella